N.° I. reçu le 4. Xbre 1772. rejetté

Morborum omnium unus est modus Locus autem differentiam facit. Hyp. lib. de flatibus

Per eadem per quę vivimus, et morimur.

rejetté d'après l'avis de M. [illegible]

Propositio

Quelle est dans le traitement des maladies Chirurgicales l'influence des choses nommées non naturelles?

Responsio

Neminè latet in geometricis rebus curvarum propè infinitarum mensuram non aliundè, quàm a recti cognitione pendere; in physicis phenomenorum explicationem non nisi a recta cognitarum Physicę legum ad peculiares casus reductione descendere: ita in medicis fieri nunquam poterit, ut quis rectè judicet, aut sentiat de motubus ab objectis quibuscumque excitatis in homine extrà circulum Sanitatis constituto; Nisi ex ritè, rectèque cognitis legibus, per quas in homine Sano ab iisdem objectis motus per quos vivit, agitque, excitantur, conservantur, atque turbantur. Id tamen discriminis interest, quod Geometria evidenti fruatur recti cognitione; Physica non nullis sit iam nostro ęvo ditata legibus generalibus ab experientię fundamentis erutis, quę, licet ope recti ratiocinii à Sensibili realitate longò distent inductionum intervallo; non tamen minori certitudine gaudent: Medicina verò inter opiniones hominum agitata, et innumeris Magistralitatibus obruta, nullisque huc usque firmata generalibus, certisque legibus, vaga ubique, et incerta, vaticinationi similis (uti Hyppocrati visum fuit) post tot Sęcula per orbem adhùc malo fato pererret.

Indè est, quod ad propositi problematis solutionem accitus physica necessitate obstringar, pro viribus meis, statuere antè omnia ea, quę arti deficiunt principia, sine quibus nullę prorsùs dari possunt rectę pecularium medicę Artis phęnomenorum explicationes, et quibuscum è contra; non solum ea, quę sub dato Argumento veniunt, Sed quęcumque alia plus, minusve evidenter, in ratione composita complicationum, queis circumveniuntur, in lucem perducantur.

Haec Methodus investigandi principia quà uti cogor, ut potè non multum in rebus medicis usui Sęculi nostri consona, me ab opere retineret; nisi scirem, quę scribo Subjicienda esse viris peritissimis, et qui ex unà parte apertissimè vident necessitatem statuendi tum solidiora principia, tum generaliora, quam quę ea sunt, quibus hodiè

nititur medendi ars; Ex alia verò omnigena Artis Scientia cumulati non indigent
diuturna descriptione processuum, per quos à Sensibilibus per gradus ad abstracta
deducimur. Hinc nulla mihi Causa timoris est, ne ex abrupto vacuę dumtaxat hy-
=pothesis vitio accusentur eę veritates, quę à Sensibili observatione, tamquam a basi,
ope reflexionis, per plures, et iterum plures inductiones ad Sublimem pyramidis
Scientiarum Apicem, tamquam Simpliciora eorum principia extolluntur.

N.1. Quocumque Sensuum, mentisque vires convertere conati sint Phylosophi omnes;
nemini datum umquam fuit, neque dabitur imposterum in universa rerum Natura
invenire quid, per se absolutum sit, et existens; Sunt enim omnia inter se mutuis re=
=lationibus, et indefinitis, indefinitèque varijs combinata, et connexa modis; ità ut Uni=
=versus Physicis nil ultro exhibeat, nisi combinationem materiei, quam omnipotens
causa creavit, in formas indefinitè varias disposuit, et motu donavit. Hinc tot, tantę=
=que rerum mutationes; Hinc omnigena effectuum series, et successio; Hinc totius
conservatio.

2° At malo fato plurimę harum Successionum propter imbecillitatem Naturę nostrę
a nostra cognitione effugiunt adhuc, et diù fortassè effugient. Huic scientię facti
ignorationi imaginatione supplere properarunt homines, plurimas sibi procre=
=ando Causas, quas occultas appellarunt, et quibus sibi temerè suadebant intelli=
=gere per ignotius, quidquid ignoti ipsis in Physicis adveniebat.

3° Inutile est notas absurditates repetere, quę in Physicis, et in medicina Phy=
=sicę filià, ab hac turbida fonte devenere. Liceat tantum (quod argumenti est)
Animadvertere ab hac ipsa fonte profluere, quod plura in utràque, quę nil ultrà
sunt, neque esse possunt, quam conditiones, pro causis habita sunt. Fallor! non=
nè hoc ipsum contigit de iis, quę prò argumento proponuntur? Cur enim res non
naturales appellare, quę nil ultrà sunt, quàm conditiones Naturæ?

4° Expulsis tandem Suppositis hisce causis, cognitoque motu, quem omnipotens
Creator indidit materiei, veluti instrumentum mutationum omnium, quę fiunt
in Natura, occultis causis motus substituti fuere, quos spontaneos vocant; tam=
=quam si quid in Natura moveatur, quod ab alio non moveatur.

5° Quis enumeret absurditates in Physicis intrusas ab hisce spontaneis motibus,
quos humana mens imaginando produxit! Nonnè exinde est, quod enormi omni=
=potentię, et omni-scientię obtrectatione impudentèr ausi fuerint homines pluribs
legibus submittere entia, quę ab authore naturæ, et ordinis sub una tantum,
eaque Simplicissima condita fuerunt, et Sancitā? Quid absurdiùs, quam entia
creata in viventia, et mortua, in organizata et inorganizata dividere? Nonnè quę=
=cumque daretur materia mortua, Superfluum foret in ordine, in quo sinè injuria
omniscientiæ creatricis admitti non possunt Superfluitates? Nonnè motus isti
spontanei totidem essent causæ per se, ubi prèter causam unicam Creatricem non
datur, nisi ordinata, et continua effectuum successio?

6° Fossilia, Vegetantia, non minus quam Animalia sibi propriam vivere vitam sibi
proprijs instructa esse Organis, sibi proprijs quęque ditata viribus, tandem aliquando
exculta naturalium rerum historia evidenti Sensuum humanorum certitudini Subje=
=cit. Inde est, quod itidem prò certo habeatur Singula entia Supradictis munita instru=
=mentis, seu proprietatibus, sub conditionibus tum omnibus genericis, tum Singulis -

peculiaribus complere in Sphera maxima universæ Naturæ circulos unicuique in=
=dictos, ad generalis ordinis conservationem, cujus singula sunt partes.

7.º Nullibi evidentior hic ordo universæ Naturæ apparet, quàm propè lineas divisionis, quæ in hisce tribus, ut ajunt, regnis Naturæ, unum ab altero distinguunt, et separant. Consultis sedulioribus historiæ naturalis Coordinatoribus in Confinijs fossilium, et vegetantium, remanent adhuc Classes Entium indecisæ, quæ in dubio relinquunt an uni regno conveniant an alteri. Eadem hæsitationis ratio objicitur sub linea, quæ vegetantia dividit ab Animalibus.

Homo constitutus est in Supremo horum ordine: Quomodo se habeat cum creatis Entibus Superioris ordinis, neque observationi, neque humanæ menti licet intueri, neque instituti propositi est de his verba facere, quæ ad Argumentum non faciunt: Nostri est relationes hominis cum entibus inferiorum ordinum, quoad fieri potest, indagare.

8.º Ex antecedentibus, quæ Sensuum ipsorum testimonio constant clarissime patet, naturam esse ubique eamdem, et Simplicissimam, quamquàm infinitis variatam modis sese spectatoribus exhibeat. Evidentissimè etiam patet in universo creato propè infinitum dari numerum varietatum, per quas, et materialia Corporum elementa complicantur ad constituendas diversas corporum formas, et sub Sensibus cadunt, et altera ab alteris, mentis attentione interveniente, adamussim distinguuntur. Non minus patet, ex hâc elementorum diversa combinatione oriri eas tam diversas affinitates, ac repulsiones, de quibus constanti observatione, chimica certiores nos fecit.

9.º Patet itidem, omnia fieri per motum vicissim a corpore ad corpus communicatum, qui motus indè, per vim oppositam resistentiarum, à recto in infinitè varias curvas deflectens instrumentum est omnium mutationum, quæ fiunt tùm in generali natura, tùm in peculiari cujuscumque ordinis Entium, per quas inde peculiares Naturas, unumquodque ens suam vitam vivens, et non homo tantum, uti opinatus fuit Aristoteles, prò vero sui generis mycrocosmo considerandum veniat, dum illud abstrahimus a relationibus, per quas omne totum peculiare cum toto universali connectitur; et ijsdem Simplicissimis legibus, per infinitè varias modificationes, constantissimè servatis, sub infinitè varijs conditionibus vivit.

10. Per motum omnia entia juxtà genus suum producuntur, augentur, crescunt, alterantur, perducuntur ad fines usque propriæ eorum Naturæ indictos, et inde dissolvuntur; per motum adjiciuntur entibus usque, et detrahuntur ab ipsis aliquæ proprietates; Unde est quod eorum aliquot, occupato uno aliquandiù ordine, cogantur ex propria Naturæ lege ad alium transire, et sub talibus conditionum mutationibus, indè inservire vel productioni, vel incremento, vel dissolutioni aliorum, quæ et essentia, et ordine, et Classe, et Specie prorsus differunt à prioribus, quæ occupabât. Hæc omnia observatoribus Sedulis evidenti Sensuum ipsorum testimonio constare, nemo nostro ævo amplius dubitare potest.

11.º Nemo itidem cognitionem facti, Ad Apicem usque suæ cognitionis protractam, inficiabitur, esse quidem basim unicam, et certam, superquam artium omnium principia elevantur ordinatìm, et per gradus Mentis ope procedendo; Sed tantum semper à dignitate principiorum distare, quantum (ut cum Verulamio loquar) altæ pyramidis Apex à sua distat basi.

Ut igitur à factis ritè procedamus ad desiderata principia, à Sensibilibus ad ab=
=stracta, sub reflexionis auspicijs cogimur procedere, et ante omnia vocum ali=
=quarum genuinos Sensus, quoad nostri est determinare.

12. Sub voce Essentiæ à datis Experientiæ factis procedendo, nil ultrà intelligendun esse mihi videtur, quàm summa proprietatum, per quas, et propter quas quod=
=cumque ens existit, et agit modis sibi proprijs, et peculiaribus; Officia sua tum propria, tum relativa complens in ordinis generalis Naturæ.

13. Sub voce Naturæ, Methaphysicæ sumpta, intelligimus actum primum causæ unicæ Creatricis; et exindè mentem nostram ad ea, queis tenemur erga Deum, ele=
=vare docemur. Dum verò hanc vocem ad Spheram humanæ cognitionis redigi=
=mus, nil ultra ea sentit, quam ordinem motus a Causa Creatrice universo im=
=pressi, et agentis in eo.

14. Natura igitur in sua maxima extensione physicè sumpta, est totum resultans ab unione diversorum inter se elementorum, ab ipsorum diversa combinatione, et ab infinitè varijs motus modificationibus, et relationibus, perquas universi Creati existentia sustinetur. Particulariter sumpta, est totum resultans ab essen=
=tia propria cuiuscumque Entis; Scilicet a proprietatibus, modisque agendi, per quæ unaqueque classis, unumquodque itidem sub eadem lege individuum, à cæteris omnibus distinguitur, et per quæ alterna motuum communicatio, vel mediatè, vel immediatè, vel Sensibiliter, aut non, continenter adimpletur.

15. Sub voce igitur existentiæ in ordine Naturæ nil ultrà intelligendum venit, quà exequtio motuum cuique determinatæ essentiæ propriorum. Conservatio indè nil aliud est, nisi dare, et recipere motus propriæ existentiæ convenientes, ma=
=teriesque ipsi existentiæ utiles attrahere, noxuas repellere.

16 Nil datur in Natura, quod ab hac generali lege excipiatur. Diversitas apparen=
=tiarum infinitè varia ab infinitè varia compositione motuum, et essentiarum provenit. Hæc compositio gradatim augetur à fossilibus, usque ad hominem. Hinc fortasse est, quod in exploratione Ejus Naturæ in majores difficultates incidant Phylosophi, quam undique alibi. Id tamen certum est, quod nil inve=
=niri possit in homine (quo usque homo esse non desinit) quod datis generalis naturæ legibus, contradicere valeat.

17. Hisce premissis, possem quodammodò a macrocosmo, ad Hominis Mycro=
=cosmum procedere. Liceat aliquantulum, antequam progrediar, judicium pati=
=entia abuti, aliquid exponendo a meditatione erutum, quod, et si non appri=
=mè necessarium, non prorsus tamen inutile (quamvis hypothesim sentiat) fortasse videbitur ad intelligentiam legum Simplicissimarum, queis equè Sub=
=jacent tùm generalis, et universa, tum Naturæ peculiares omnium Entium.

18. Sensuum testimonio constat in Universo, ab obtusiore Fossilium usque ad homi=
=nem, qui nemine discrepante est ens perfectius inter Entia mundi visibilis) dari ordinatam progressionem formarum visibilium, ab infinitè varià com=
=binatione elementorum materialium productarum. Neminem insuper latet,

unicuique Classi supradictarum formarum proprias inesse vires, alias ab alijs non minus diversas, quam sint formæ ipsæ diversæ. Patet igitur universum constare non tantum ex hac satis cognita progressione formarum visibilium; Sed ex alia Itidem relativa progressione virium invisibilium sub eodem ordine procedentium, quo, et visibiles formas procedere, Sensibiliter observamus.

19 An non potuit supremus verum Conditor, præter id totum, quod resultat ex summa infinitè varia formarum visibilium, aliam summam virium invisibilium creare relativarum unicuique formæ visibili, quæ indè pro fundamento, et Subjecto inserviant unicuique materiali formæ, et a quibus id omne, quod realiter in Natura videmus, et sentimus, producatur? Antequam temeritatis hæc propositio accusetur, vel præcipiti nimis judicio reÿciatur, seriò perquirendum est, an fieri possit, ut in universa Natura Ens quoddam reperiatur, in quo activitas suæ formæ non conjugatur, illique dum vivit, adhæreat? Si verò evidenter constet, non reperiri; quid obstat statuere complexum, Summamque virium infinitè variarum junctum complexui, summæque formarum æquè infinitè variarum constituere id totum creatum, quod sub generalis Naturæ nomine cognoscimus? Itidem ad particularia descendendo, talem datam vim tali datæ formæ conjunctam constituere naturam peculiarem Entium Simpliciorum, et indè plures varias datas vires, pluribus varijs datis formis conjunctas, et in reciprocis combinatas relationibus, ijsque inseparabilibus, constituere Naturam Entium magis compositorum, et majori activitate pollentium, interque Homo principem occupat Locum, uti videbimus?

20. Hanc progressionem, atque gradationem virium invisibilium, et formarum apparentium vetustissimis cognitam, Phythagoras Græcis communicavit; Ampliavit indè Plato, et nunc fortassè ipsa in propatulo omnibus foret; Nisi hujus discipuli, interpretes, et commentatores de vi invisibili, et fortassè indefinibili etiam (quam animam mundi appellavit Præceptor) decertando, vanissimas inter verborum indeterminatas quæstiones, densissimis claram Phylosophi ideam tenebris obruissent: Ex quibus diametraliter oppositæ oppiniones surrexere. Aliæ omnia generali cuidam Spiritui tribuentes; aliæ quidquid existit totum materialitati donantes; Utraque Sententia, per diversa aberrans, æquè recessit ab evidentia tum virium, tum formarum, quæ ubique existunt, et quorum existentiã nihil obesse Arbitror dogmaticæ Religionis veritati.

21. Hinc fortassè factum est, quod homines ad præscrutandas formarum proprietates, earumque relationes, et phænomena intentitissimi, ut earum diversas essentias, naturasque distinguerent, indaginem virium unicuique formæ à maxima ad infinitè minimam inhærentium, prorsus neglexerit, et hinc pars hæc maxima Naturæ; Scilicet virium Regnum, tenebris adhuc majoribus obruatur, quam pars altera, quæ formas continet.

22. Nihilominus quis audeat negare hujusmodi virium existentiam, dumtaxat, quia imbecillem humanorum Sensuum aciem effugiunt? A consideratione uniformitatis effectuum apertè percipimus; ab obtusione Fossilium usque ad hominem, unicuique formæ inhærere specificam vim in ipsa continenter agentem, ad productionem

mu-

mutationum omnium; quæ unicuique necessariæ sunt, tum ad existentiam sui=
=met ipsius, tum ad complenda offitia indicta unicuique, iuxta genus suum pro=
=prijsque exequenda modis tamquam parti totius universi. Nonne quidquid
existit in hujus conservationem nititur, et sui?

23. Has creatas vires, suis creatis formis Specificas, Animas appellavit Plato.
Ab hâc vocis communione cum Fossilibus, cum begetabilibus, cum brutis, Homi=
=nis dignitatem confundi aliquibus visum est; Hinc semet vulgo Creaturarum
immisceri dedignantes, methaphisicis magistralitatibus rem ultrò cognitam
imaginarijs, circa vocis Sensum interpretationibus immiscendo, densissimis
adeò obrutam terminis ad posteros transmisserunt, ut quasi Nefas reputetur,
cum hisce viribus vires hominis commiscere.

24. Nodum hunc posse non difficile dissolvi mihi videtur, si præstò sit Ratio ubi
Sensus deficiunt. Sensus nobis objiciunt innumeras formarum classes prorsus
inter se diversas; itâ ut totidem naturas diversas in Naturâ existentes videa=
=mus. At cur, qui hasce formas diversas sub ipsa eâdemque unicâ lege creavit,
non vires quoque unicuique classi proprias, et ideò essentialiter diversas crea
=vit? Dum igitur ad hominis cognitionem Sensus, et mentem intendimus, præscia=
=mus oportet illum constare ex vi, seu animâ, et materiali formâ; quod cæteris
entibus commune est. Sed sicuti ejus forma, per specificas suas proprietates,
Sensuum evidentia testante, differt â formis omnibus Creatis; ita, et anima ejus,
recto subjecta rationis criterio, differt per proprietates ipsi proprias, ab omnibus
animabus entium quorumcumque.

25. Ad cognitionem Naturæ Hominis necesse est, ut cognoscantur, et ambarum spe=
=cificæ proprietates, et mutuæ earum relationes inter se; indèque earum affinita=
=tes, et repulsiones cum extraneis impetum in eum facientibus, vel continenter,
vel prô tempore. Itâ ut falsò penitus sibi blandiretur naturam hominis cogno=
=visse; tum qui rectissimè, licèt, et perfectè, seorsim tamen, cognovisset formam
hominis materialem cum suis proprietatibus, earumque relationibus inter sui
partes, et cum objectis; tum, qui adamussim proprietates animæ humanæ, ejusq.
relationes novisset non cognita formæ. Non corpus, non anima constituit homi=
=nem; Sed mutua ambarum actio, et reactio, per quam concurrunt junctim ad
Statuendam essentiam, et ad Conservationem Entis, quod ex utrâque est, quod est.

26. Exposito ordine generalis Naturæ, ad peculiarem naturam hominis deveni=
=endum est, et ad ejus analisim: sic fient explorata peculiaria hominis princi=
=pia, per quæ cum generali Natura, cujus pars est, ipse conjungitur.

27. Animadvertendum itidem est, vires Entium invisibiles non minùs quàm for=
=mas visibiles nullam omninò vim exercere, nisi ab externo impulsu ad actum
reducantur; undè est, quod ipsæ quoque huic generali Naturæ legi, sicuti quid=
=quid creatum est, Subijciantur.

28. Hinc, ad Statuenda principia Antropologiæ, quæ Antropopathiæ unica norma
esse potest, uti rectum curvi est, in id, præ omnibus, totis viribus conari debemus;
ut certi simus de origine motûs huic toti, quod hominem appellamus, communi=
=cati, per quem ad actum ejus potentia excitetur, et indè quibus medijs hic motus

in homine continuetur ad ejus usque dissolutionem. Arduum quidem opus temerè agredior, et hùc usque, quoàd sciam, intentatum; Sed ad propositi problematis Solutionem, non minùs, quám ad intelligentiam phænomenorum quorumcumque Hominis tùm sani, tùm morbidi apprimè necessarium.

29. Quò major est Simplicitas objectorum, quæ perscrutanda suscipimus, eò minores nobis exhibentur difficultates; hinc est, quod ab origine suâ hominem esse considerandum existimem, ubi minores adsunt complicationes. Omissis quibuscumque circa generationem Phisicorum placitis, quorum nullum phænomenorum solutioni ex integro, uti opus est, satisfacit, ad facta evidentissima satis erit recurrere.

30. Homines producuntur ab hominibus, et constanter homo producitur per concursum duorum individuorum suæ speciei, sed sexus diversi, quorum alter alteri contranititur.

31. Molleculæ organizatæ prolificæ, quæcumque sint, et quoquo modo se se habeant, in organis proprijs utriusque Sexus elaborantur, ut a suis quæque organis elaborantur Molleculæ, quæ incremento, et ipsorum individuorum nutrimento inserviunt.

32. Hæc organa tardiùs cæteris evolvuntur; indè tardiùs etiam molleculæ prolificæ elaborantur; quod et in vegetabilibus apparet, et fortasse in universa Natura.

33. Prolificas Molleculas summâ elasticitate pollere, mycroscopia Sensibili certitudine confirmarunt; Ità ut particulæ seminis concretiores in tenuiori muco natantes pro animalculis, ab aliquibus habitæ sint.

34. Eas itidem electrico fluido exuberare Experimenta Eunuchorum per machinam probare videntur.

35. In actu quo concurrunt duo individua diversi Sexus, ad productionem tertij, nemo non videt conditiones aptissimas, ad excitandam electricitatem molleculaum prolificarum utriusque, et ad accelerandos motus, quibus hinc indè ejaculatæ, in unum punctum conveniant; conventæ invicem legi attractionis, juxta proprias naturas, obedire debent; huic obediendo, ad cohæsionem impelluntur; cohærent, et cohærendo unam è duobus sphæram activitatis constituunt; quæ sphæra motum sibi proprium acquirrere debet è duobus generatoribus compositum, ideòque de ambobus participantem; Sed ab utroque diversum in ratione composita virium ad ejus formationem concurrentium.

36. Centrum hujus novi motus inesse debere molleculis omnium, primò inter se; hinc indè invicem attractis, cohæsis, et pernatantibus inter magis fluxiles utriusque Seminis, Nemo physicarum rerum gnarus dubitare potest.

37. Malpighianæ, et Ruijschianæ observationes evidenter demonstrarunt, punctum princeps hujus cohæsionis esse id, quod indè Natura præ cæteris omnibus peculiari diligentia tuetur, fortissimis circumvallatum ossibus; Cerebrum Scilicet cum caudâ ejus, quæ spinalis Medulla appellatur.

38. Itaque cerebrum tamquam bulbus, et principium motus, individuorum evolutioni

præsidet; evolutisque omnibus partibus motum communicat; ut inde suas vi=
=res juxta formas suas, in Micrcocosmo exercere valeant, sub conditionibus tum
cunctis communibus, tum singulis peculiaribus, juxta legem in universa Natura
constantissime servatam.

39. Sapientia Judicum quibuscum res agitur, me absolvat à recensendis argum=
=entis omnibus, quæ tum verum Experientia, tum ratio præstant in confirmatio=
=nem expositi principij. Nemo enim nescit, Systemata cuncta, huc usque circa
generationem inventa, insuperabiles præbere difficultates, quæ generationis
phænomena implicant; quoniam, quæ horum explanantur ab uno, majores in
alijs tenebras effundunt.

40. Satis tamen non est cognovisse primum hoc centrum, et principium motus,
quem recipit à parentibus novum individuum. Hic enim motus per infallibiles
satis cognitas generalis Physicæ leges, se se alijs communicando, citò defice=
=ret, invita quacumque materiei, in quam ceciderit ad motum dispositione.
Igitur ad alias causas progredi necesse est, quę restaurent motum in Centro,
quem centrum amiserat communicando. Animam Cerebro insidentem, in Sub=
=sidium hujusce centri supervenire nemo dubitabit. Quo tempore superveniat
aliorum perscrutationi relinquam. Id tamen prætereundum non est, quod for=
=tasse nimis à Physeologis prætermissum huc usque fuit, hanc animam dum
suam moventem, in sibi subjectam materialem formam exercere, juxta con=
=ditiones quibus, et ipsa, dum eidem materiei conjuncta remanet, subigitur,
uti videbimus infra. Sat est pro nunc indicasse subsidium, quod anima præ=
=stat principio Physico evolutori novæ formæ materialis humani individui
Hoc tamen subsidium Anima præstat, excitata ab antecedenti fibrarum 35.36.
activitate, quibuscum inde Homologam vim constituit, per quam junctim in=
=de agunt, ad totius evolutionis complementum.

41. Huic evolutioni, cognito motu impellente à Centro, favere, et Cessationem
turbarum, quæ in congressu mollecularum excitatæ fuerant, et calorem, atque
humiditatem loci, in quo una conveniunt, nemo naturæ operum perscrutator
inficiabitur.

42. Uterus interea à præsentia novi objecti, et inconsuetorum ipsius motuum
excitatus, et ipse, novos (suis tamen, et formæ, et viribus proprios) motus
suscipit, per quos fit, ut et ejus superficiei vasa facile hiantia, et ipsius
mucosi organi cellulæ cum substantijs novi productus passim adhæreant,
et ex ijs materiem aptissimam, ad incrementum necessariam fœtus, recipiat.

43. Notissima cuique est facilitas, qua in Cavo uteri aperiuntur ostiola vaso=
=rum Sanguiferorum, et Lymphaticorum; et nemo anathomicus ignorat exten=
=sionem organi mucosi circumambientis cunctas cuiusque generis Corporis
fibras, et singulis impertienti molleculas nutritioni proprias, quas idem or=
=ganum recipit, à cæteris organis, à quibus immutatæ iam fuerant, et quas
inde cunctis fibris pro necessitate distribuit; Itaut ab aliquibus Antropologiæ

Studiosissimis viris, jure quidem optimo, hoc organum fertili campo compa=
=retur, in quo fibræ singulæ diversarum specierum, tamquam radices, inhæ=
=reant, et ab eodem particulas, sui existentiæ proprias, quas idem aliundè
collegerat, lege attractionis, juxtà affinitatis leges, sibi propriam suscipiant
in proprietatem.

44. Sub hisce legibus, quæ nihil recedunt ab ordine generalis Naturæ in matrice
sibi propriâ evolvitur embrio, et sui Status propriam aliquandiu vivit vitã.
In progressu tamen evolutionis, in novas necessitates incidit. Primò enim
augetur Massa motui determinatori contranitens; fibræ cohæsionem majo=
=rem acquirunt, Novæ insurgunt organorum formæ &c; à quibus augentur
motui promotori resistentiæ, quæ ad nihilum redigerent ipsum motum pro=
=motorem, nisi in ejus restaurationem, novæ vires accederent. Secundò desiat
Massa materiei ad incrementum Corporis necessariæ.

45. Hinc est, quod in ratione directa novæ necessitatis, novas ab extrà extra=
=neas vires, novis, iuxtà necessitatem progressionis agentes modis, Natura
suppeditet. Citò itaque fibræ cordis inter rudimenta cavitatis mediæ novi
Corporis jàm satis apparenter evolvi incipiunt, et indè in varias directio=
=nes cohærendo crescunt. Celerimè indè in propriam redigitur formam hoc
viscus, ejusque adnexi Canales, arteriæ, et venæ; Sicuti de Nervis fuit in
Statu præcedentis progressionis, qui undequàque extenduntur, et sese im=
=pertiunt universis partibus evolvendis.

46. Horum canalium principes, omniumque tunc temporis majores, atque
fortiores, tubum Umbilicalem constituunt, qui extrà corpusculum foetus in
Placentam, quæ matrici per innumera ejusdem generis vasa hæret extensa,
Novas communicationes cum Corpore materno instituit. Sanguis à funiculo
in Cor adductus, excitat hujus vires, et promovet hujus motus, qui tendunt
ad receptionem Sanguinis ab utero, et indè à toto corpore provenientis, et ad
successivam impulsionem ejusdem roridi nutritij humoris, ad singula Cor=
=poris organa, à quibus in varias ipsæ redigitur formas, et tandem uti vi=
=debimus infrà, per varias methamorphoses in ipsorum substantiam con=
=vertitur.

47. Dolendum sanè, quod novæ per Sensuum industriam facti veritates detec=
=tæ, deindè ultrà sphæram propriæ activitatis protractæ in nostræ cognitio=
=nis damnum vertantur! Quid non utilitatis trahere poterit Antropologia,
et indè medicina à demonstrato Sanguinis circuitu? Quid ... non obscuritatis,
et confusionis ab extenso ultrà suos fines cordis imperio? Nonnè hoc viscus,
ut cætera omnia evolvitur, crescit, statuitur, promovente motu à Cerebro,
et spinali Medullà, quæ hunc motum cæteris communicandum, partibus ab in=
=dividuis generatoribus receperant! Nonnè imperium suum apertissimè con=
=servant toto vitæ curriculo? Scindite huic cordi Nervos; Scindite cuiq. organo,

quid erit de eorum vitâ, stantibus licet cæteris omnibus ad eorum functiones
exercendas necessarijs Conditionibus.

48. Suum igitur unicuique tribuere par est, ut ad recti perquisiti cognitionem
perveniamus, nil recedendo à Simplicissimis universæ Naturæ Legibus. Ab
evolutione Cordis, in novas vitæ conditiones, et in magis compositum indè
Mechanismum, constituitur Foetus; hinc, novis adjutricibus viribus opus esse
Nemo non videt. Nonnè Sanguis molleculis jam ad Nutritionem dispositis
onustus, calore, et electricitate pollens, à Corpore matris in novum cor foetus
impulsus, est objectum excitans primò motus proprios Cordis, per quos, uti ul-
=trò notum est, nutritiæ molleculæ ad incrementum totius necessariæ, cunctis
partibus Foetus distribuuntur? Hæc nova vis tamen nil demere potest vi=
=bus primitivis N.º 40. per quas anteà creverat Embrio, et suam vixerat vi=
=tam; immò in ipsorum subsidium, et incrementum venit.

49. Quoniam quoquòmodo de incremento motus primigenij sentire velimus;
sive adeas autores spirituum animalium: apparet in magnâ quanti=
=tate Sanguinis ad caput ascendentis, et præcipuè in foetu, magnam ibi eorũ
Copiam debere secerni; Sive adeas authores electricitatis, apparet sub=
=stantiam Cerebri medullarem facilè vindicare posse a Sanguine in cortica=
=lem adveniente Electricitatem, quam continenter fibris cunctis sui Corporis,
pro eorum Natura distribuit; sive adeas autores elasticitatis solidorum;
apparet, ab impulsu supervenientis cruoris, hanc perpetuò excitari.
Certum igitur est in quacumque Sententia, vires Cordis supervenire in-
subsidium Cerebri.

50. Quis hominum negare poterit supradictarum relationum veritatem
inter Cerebrum, Cor, et Matricem, quæ à Matre suas vires recipit. Ab harum
mutuâ, ordinataque actione, et reactione, mutuisque officijs progressio
novi individui ad datum usque terminum perficitur. His igitur sub con=
=ditionibus vivere, et augeri foetum in utero omnibus notum est, et tandẽ
eò usque pervenire, ut locum sibi incommodum sentiat, uterusque recipro=
=cè ab ipso ultrò patiatur, ex quo in alterutro superveniunt motus, qui
molestas in ambos inferunt Sensationes. Has contrà, vires amborum
conservatrices insurgunt in id æquè tendentes, ut à sibi infestis objectis
liberentur. Idque tandem fit sub ipsâ eadem generali lege, pluribus va=
=riata modis, per quam ab organis excretorijs expellitur, quidquid inutile
conservationi Corpori inest, et molestum redditur; quodque sub excreti vo=
=ce cognoscimus.

51. Instantibus itaquè matris, foetusque conatibus ad lucem excluditur infans.
Umbilicalis scinditur funiculus, et Novam sub novis scilicet conditionibus,
ille incipit vivere vitam. Id tamen observandum hic est, quod organa, quæ
in hoc progressionis momento ad actum per nova objecta excitantur, in Sup=

plementum veniunt virium, quæ foetu expulso, et reciso funiculo deficiunt a parte Matris, et in Subsidium virium Cerebri N.º 40, et Cordis N.º 44. –

52. Funiculo Umbilicali Suppetere duos Canales in ore hiantes, Oesophagum, et asperam Arteriam sic dictam, nemo ignorat. Hæc aeri in Pulmones introducendo inservit, et ultra hos non extenditur; Alter ab ore ad Anum usq. protrahitur, introducendis Cibo, et potu; ijsque immutandis usque ad eorũ in Chylum conversionem inservit.

53. Inutiles questiones de foetu in utero quodammodò respirante, seque per os pascente omitto; quoniam quomodocumque se res habeat, nullo modo contradicit legibus progressionis, quas conor statuere. His enim non officit, sive nil prorsũs ad actum redacta antea fuerint hæc organa, sive aliqualem imperfectum, proculdubio, motum ab impulsu Cerebri, et Cordis receperint.

54. Quantas cordis activitati Suppetias afferat intestinalis Tubus ultrò cuique patet; Quantas afferant Pulmones, et Cerebro, et ipsi Cordi, evidenter demonstrant, tum Cerebri motus homologus motui Pulmonum, qui inita respiratione cum antecedenti motu cordis Syncrono demonstratus fuit a D.no Lorry Act. Ac. Par., tùm color, et Electricitas aucta Sanguinis in vena pulmonari sinixtrum cordis ventriculum Subeuntis. A novis igitur progressionis conditionibus Novæ cum antecedentibus relationes accedunt, per quas prioribus scil. Cordi, et Cerebro tantum augetur ad conservandas vires proprias, quantum ab ipsis demptum fuit eas subalternis organis communicando.

55 Supradictas esse principes, et apprimè necessarias vires, quibuscum Vita hominis sustinetur, Nemo, ut opinor, negare potest. Secuti, ut vidimus, Sanguis est objectum excitans, promovens, et conservans motum cordis; ità aer pulmonibus; ità Alimenta tubo intestinali sunt objecta in ipsis propriam activitatem, et proprios motus excitantia. Per hujusmodi combinatos motus, et functiones (quas recensere sigillatim inutile puto) incrementum, et promotionem acquirunt vires primigeniæ Cerebri, quibus cæteræ omnes originem debent suam, et dispositionem ad se se movendum cunctis propriam, et mechanicis earum structuris respondentem.

56. Id circò Massa virium, cuique individuo propria, constat ex tribus hisce generibus virium reciprocè inter se agentium; Ex his constituitur motus, durante vita, perpetuus: harum altera defficiente, deficit effectus.

57. Huic tamen deficientiæ ad datum usque gradum cæteris datum est consulere, et providere; ità ut quoad fieri potest, earum proportionale æquilibrium conservetur. Hoc igitur æquilibrium ab unâquâque earum vel excedente, vel deficiente in ratione directâ quantitatis huiusce, vel excessus, vel defectus turbabitur.

58 Cuique semetipsum attentè, observanti Sensibili certitudine constat in Statu Sanitatis functiones cuiuscumque partis ultra modum, et diutius protrahi non posse nisi cum dispendio partium Antagonisticarum. Ubique igitur in homine vivente extenditur Lex firmissima, per quam tres supradictæ virium Classes, constituentes Massam integram virium, cuique humano individuo propriarum mutuo se sustinent auxilio; illæsa tamen semper originariæ jam dictæ subordinationis certissima lege, quæ æquè se habet ad partes omnes cæteras majoris vel minoris momenti, quoad totum, cunctisque Superioribus plus minusve, et diversimodè subordinatas.

59. Hic Prætermitto Copiam observationum, quæ evincunt a varietate subordinationis inferiorum partium cum tribus indicatis principibus organis, eas oriri consensiones peculiares, Hyppocrati cognitas, et ab ipso plurimum medicis commendatas, quas hodie Sympatheias appellant. Sapientibus viris, et in re Anatomica expertissimis scribo, queis nullius Negotij esse debet ab indicatis principijs ad particularia descendere, et sub una eademque generaliorum lege cæteros omnes, nullo excepto, peculiares partium consensus redigere. His ideo consultò prætermissis, Hominem, quem huc usque non ultra, quam triplici modo viventem exploravimus, et agentem considerare opus est.

60. Vidimus Cerebrum à parentibus, et ab Anima ipsi inhaerente ad motum determinari; Cor à Sanguine; Pulmones ab aere; Tubum intestinalem ab alimentis: Vidimus hæc omnia adamussim convenire cum legibus Physicæ generalis, ad motum communicationem spectantibus. Satis igitur est nobismetipsis consonos esse, ut evidentissimè cognoscamus, hanc ipsam legem ubique servari. Sat est, non confundere objecta cum Subjectis; continua cum contiguis; Mota cum motoribus, ut statim, Luce clarius, ubique appareat datæ legis continuatio, et immutabilis ordo.

61. Quidquid ad organum quodcumque tum externum, tum internum Corporis pervenit, est objectum promovens ad motum vires proprias ipsius organi. Quod igitur sunt Lucis radij oculis, aeris sonoræ vibrationes auribus, Sapidæ molleculæ ori; odoriferæ naribus; Superficies corporum cuti: id etiam sunt alimenta ventriculo, Chymus, et feces intestinis, Chylus suis glandulis, et vasibus, suis salivaris humor, Urina renibus, et vesicæ; idem Sanguis suis vasis, et cordi; Uno verbo omnia complectente, secreta omnia à Sanguine suis organis, idem sunt Molleculæ nutritiæ organo cellulari, in quod à cæteris quibuscumque organis confluunt; et tunc tantummodò cessant esse objecta, quum intussusceptæ ab analogis suis, et continuæ factæ cum ijs, conservatricem earum Sphæram activitatis adaugent, qua indè, et ipsæ affines attrahere, hæterogeneas repellere, et ab objectis venientem impetum sustinere valent: Id denique sunt Molleculæ prolificæ organis suis.

62. Nemo non videt, quot obscuritates ab hac una non imaginaria, sed realissimà distinctione Antropologiam æquè, ac Antropopathiam occupantes, velut ab admota face dissipantur. Inter plurimas unam liceat indicare. Nil apud

Authores pathologicos frequentius, quam indistinctè assumere Causas morbo=
=rum pro eorum principijs, aut principia pro causis. Quisque videt ab indicata
distinctione innumeras, easque maximi momenti in re medica quaestiones
exulare: quoniam ex ea rectissimè deducitur, causas non aliundè unquam
in morbis tùm externis, tùm internis; Nisi ab objectis provenire: principia
vero numquam nisi in ipso Subjecto, ejusque partibus. Hæc indicasse satis.
Hominis progressionem prosequi nostrum est.

63\. Quo tempore in auxilium Cerebri, et Cordis ad actum promoventur aeris,
et alimentorum organa; his interpositum, et centrum Corporis occupans, Dia=
=phragma pariter ad actum excitatur. Diutiùs nimis patientia vestra abuterer
repetendo innumeras tùm veterum, tùm medij ævi opiniones circa officia hujus
organi. Satis ad rem nostram est repetere, quod nemo Physiologorum hodiè
ignorare potest; Scilicet per observationes, et experimenta apertè constare Dia=
=phragma esse centrum reflexionis virium hominis Agentis.

64\. Ne autem suti de Sanguinis detecto circuitu factum est / extrà suos fines,
in damnum Artis, hæc etiam veritas convertatur, eam proprios intrà limites
aequum est redigere. Hoc organum, quod inutile prorsus fuerat in antece=
=dentibus vitæ fœtus curriculis; Apprimè necessarium fit in novæ vitæ con=
=ditionibus. Quænam sint hæ novæ conditiones omnium primò convenit de=
=terminare.

65\. Harum præcipuas esse artuum motus, et externorum Sensuum functiones,
nemo credam inficiabitur. Ergo Diaphragmatis ad hæc concursum opus est ex=
=plorare. Huc usque demonstrare conati sumus vim principem, et motum or=
=gana cuncta evolventes a Cerebro oriri; indè exposuimus, quæ ad conservandū
hunc motum Superadduntur in ratione reciproca complicationum, quæ in
progressu evolutionis Superveniunt. De Anima nil ultrà dictum fuit, neque
dicere huc usque oportuit, præterquamquod ea Cerebro insidens vim suam
moventem motui evolutori conjungit, et huic indivisibiliter juncta Sincronè
procedendo à Capite, tanquam fonte nervos ad cunctas tùm internas, tùm ex=
=ternas Corporis superficies extendit, cunctisque organis distribuit. Annon de
cæteris facultatibus Animæ idem in foetum est, quod fuerat de Dyaphragmate
de Pulmonibus N.º 53. Antequam ad auras evaderet? Ergo anima successivè
prò tempore, et sub necessarijs conditionibus facultates, et ipsa evolvit suas, uti
de omnibus creatis Entibus est. Ordo igitur exigit, ut ejus evolutionem prose=
=quamur, uti evolutionem principum organorum prosequuti sumus; et indè
Physiologicas notiones Psychologicis conjungendo Simplicissimas Antropologicæ
leges, quæ sunt unica, et vera Medicæ Artis fundamenta conemur erruere.

66 Cuilibet, relinquam disserere de Animæ essentia, et Natura; Ad nos pertinet
ejus proprietates à quibuscumque Materiei proprietatibus diversas disting=
=uere, ejusque agendi modos, dùm ex dispositione omnipotentis Creatoris humanæ
formæ conjuncta, constituit illud totum, sub hominis voce cognitum, exercens, uti
cætera Entia creata, vires essentiæ suæ indictas, juxtà leges universæ Naturæ.

67 Constans observatio confirmat animam humanam suo Corpori ad compositionem

hominis conjunctam, suas progressiones complere sub ijsdem legibus, quæ infini=tè varijs sub modis a cunctis Entibus creatis complentur. Ejus igitur proprietates, seu facultates successivo ordine, et nunquam per saltus se se exerere debent, et sub datis conditionibus, uti de Corpore fieri vidimus. Inde est, quod jure, ac meri=to verear, nè a confusione progressionum hujusce ordinis partæ fuerint totidem quæstiones Phychologicæ, quot vidimus partas fuisse Physiologicas ab ordine progressionum Corporis turbato per vagas opiniones, et per non satis exactã ob=servationem Naturæ.

68 Omnes conveniunt animam movere dispoticè multas sui Corporis partes. Stahalius eam universum suum Corpus movere demonstravit, absurdum re=putans in mycrocosmo dari posse partem, vel minimam propriæ vi moventi non subjectam. Rem difficillimam, quomodò magnus vir explanare conatus sit, apud ejus scripta Physiologica videre lubeat. Plura tamen, uti mihi vi=detur, in obscuro remanent, quæ dilucidationes majores exquirunt, et quas persequi conabimur.

69 Anima suæ formæ non longè diù à primis Corporis rudimentis præsidet Ce=rebro insidens N.º 40, 65; ibi facultates suas evolvere incipit, juxtà leges pro=gressionis, à quibus exemptum nullum creatum Ens cognoscimus. Nemo du=bitare unquam potuit, quin anima motum originarium N.º 37. 38. foveat, atque tueatur; indè junctim concurrat cum Corpore ad Ejusdem motus perpetuatio=nem, dum vita perdurat. At nescio quo fato, hæc facultas princeps Animæ su=prà suum corpus universum, nunquam memoratur in Physiologicis. Nonnè hâc neglectâ negligimus principium Successivæ progressionis, per quam indè cæteræ omnes ejus facultates sub datis diversis conditionibus explicantur, et ad actum reducuntur?

70 Anima igitur à Cerebro facultatem suam motricem exercens, per nervos undi=què diffusos, motum à Nervorum origine ad eorum extremitates tendentem, Omnibus, et Singulis sui Corporis organis impertitur, et per quem, concurren=tibus indè alijs viribus adjutricibus ab eorum Naturà, Structuraque Suppe=ditatis, unumquodque eorum exercet Sphæram activitatis, sibi indictam ad conservationem Sphæræ generalis, cui omnia, et quæque pro modis suis, et inter se diversis, inserviunt; Sicuti omnes Classes Entium inserviunt conserva=tioni Sphæræ generalis Naturæ.

71 Hanc tamen suam activitatem Anima non cognoscit, neque cognoscere potest: quoniam dum Claustris Corporis circumscripta remanet, legi inviolabili etiã circumscribitur, propter quam Anima humana fieri numquam potest, ut co=gnoscat (quantacumque sit proprietas cognoscendi, et intelligendi, qua ditata est) aut intelligat, nisi anteà Senserit.

72. Nemo nescit instrumentum Sensibilitatis esse Nervos; Nemo pariter ignorat musculis quibuscumque, qui sunt instrumenta motuum quorumcumque or=ganorum, opus esse nervorum ad exercitium suæ facultatis; Nemo tamen, quoad sciam, modos hujus diversæ Activitatis Nervorum, æquè ab Animà suam vim recipientium, explanavit. Rem tentare audeo.

73 Per Nervos N.º 70. ab Anima undique in Corpore motus diffunditur, uti Sol suos

radios diffundit: Hi Nervi in cilindros infinitè minimos, diaphanos, observante Nevotono, varijmodè dispositi, et in fasciculos conjuncti, particulis tum ad ex=:cessum eletricis, tum Elasticis ditati, et facilè ductiles in origine sua, à Ce=:rebro, et Spinali medullà quaquaversus ad cunctas corporis partes perdu=:cuntur. Anatomes inde docet fasciculos Cilindrorum ad quodcumque organum per Curvas, Angulosque varios perductos, dividi, et in duplicis ordinis fines abire: Altera enim ejusdem fasciculi pars in Substantiam organi, vel disperditur, vel in hanc convertitur: Altera verò, ut ad Superficiem externam Corporis; ità et ad Superficies quascumque organorum internorum, quę contactui objecto=:rum sibi propriorum N.º 61. Subyciuntur, varijmodè configurata distribuit.

74. Hi diversi Nervorum fines diversa certo certius indicant eorum officia. Quos ultimo loco innuimus, credam neminem dubitare, quin constituant organum Universæ Sensibilitatis; Organum Scilicet, per quod anima propriam sibi Sensibilitatis facultatem ad actum redigit, exercet, perficit sub datis ad opus Necessarijs conditionibus, uti vidimus de functionibus Corporis N.º 42. 43: et 44.

75. Sentiendi facultas igitur moventi facultati subsequitur, et secundum obtinet locum in progressione evolutionum, per quas anima per gradus, et ipsa facultates perficit suas: ità secundum à Nervis Cor obtinuisse locum vidimus in pro=:gressione evolutionum Corporis. Ad id, ut hæc facultas extricetur, necessè est, ut objectum aliquod externum afficiat aliquam ex iis nervorum extremitatibus, quæ hiant in organorum Superficiebus, et necessè itidem est, ut nervi percus=:si valeant recæptum ab extrà impulsum, ad animam, usque per motum re=:fluum, traducere; ità ut ipsa percipiat Statum sui Corporis, aut Saltem ali=:cuius ejusdem partis, immutatum esse ab eo, in quo erat antecedenti momento. Sensibilitas ergò universalis vel grata, vel molesta fit per motum diametraliter oppositum effectui facultatis moventis ejusdem Animæ, quæ à Nervorum ori=:gine N.º 37. ad eorum fines vim suam continenter intendit.

76. Atqui ea pars Nervorum, quæ inter organorum Substantias disperditur, et nullis objectorum externorum contactubus Subijcitur, nullo modo Sentiendi fa=:cultati poterit inservire: hæc non ne erit organum, per quod vis motrix animæ in Corpore universo exercetur? Mihi diù, et Seriò hac in re meditanti, nihil huc usque datum fuit invenire, quod obstet huic duplici Nervorum offitio, et dispo=:sitioni. Si quis dubitet, pænes alios judicium remitto.

77. In hunc ad Musculos tendentem motum animadvertere ipsa anima non po=:test, quia per hosce Nervos non reflectitur in ipsam Motus N.º 75. sine quo ipsa numquam sentire, et ideò numquam prorsus animadvertere potest in id, quod aliquo modo antea sentire nequiverit. Quantumvis igitur motus ad ulteriorem eorum distinctionem in voluntarios, atque involuntarios dividamus; Non ideò inter dependentes, atque independentes ab animà. Animà N.º 70; et 71. in cunctis sui corporis partibus suam movendi facultatem exercet, antequam ejus facultas volendi, et Nolendi extricetur. Facultates cæteræ animæ per Sensibilitatem progres=:sivè extricantur; Sentiendi facultas per motum in animam reflexum vires exercet

suas N.° 75; et 78. Hic motus in animam reflexus haud fieri potest, quin modi=
=ficationes sibi relativas Animæ non afferat. An non à modificationibus huiusce
generalis moventis modificationes relativè motuum debent oriri?

78 Sensibilitas igitur est, quoad Animam id, quod N.° 47: 48. vidimus cor esse res=
=pectu Cerebri. A combinatis viribus facultatum primitivarum movendi, et Sen=
=tiendi extricantur, successivo processu cæteræ omnes animæ facultates, sicuti
a viribus combinatis cerebri, et Cordis successivo ordine extricata, jam fuere or=
=gana omnia humanum corpus constituentia. Ad mutuam horum motuum
Subsistentiam, tamquam centrum, intervenit diaphragma. Nulla ad animam
viva Sensatio, nulla ad Musculos voluntaria animæ impulsio, sine diaphrag=
=matis interventu atque auxilio. Sat est attentè semetipsum observasse, ut de
hac constantissima veritate nemo possit dubitare. Viris in Anatomicis Physicis,
et Antropologicis rebus versatissimis hasce primas lineas indicasse sat est, ut
apertissimè indè integrum, eumque Simplicissimum rerum ordinem perspi=
=ciant.

79 Diversitas ideò princeps integerrimæ extricationis totius hominis consistit
in opposita hac 78. diversitate impulsum, à quibus motus acroni Supradicti
excitantur. Facultates corporis evolvuntur per motum ab animæ sede ad illius
extremitates tendentem. Facultates animæ per motum ab extremitatibus Cor=
=poris ad animam refluum. Igitur lex esto prima fundamentalis, et certissima
commercij ab omnipotente Creatore Sanciti. Quod cunctæ functiones, vel infini=
=tè minimæ hominis, per hosce antogonisticos motus, et non alio quocumq: modo,
compleantur. Facultates corporis successivè extricantur per motum ab anima
in Corpus impressum: Facultates animæ per motum à corpore ad illam perve=
=nientem.

80. Quotquot sunt tenebræ, queis adhuc obruimur circa propria, et relativa or=
=ganorum Cerebri officia; nemo tamen Anatomicorum non videt, totidem fermè
inter se diversis organorum formis cerebrum constare; quotidem, et reliquum Cor=
=pus. An non illa diversis animæ functionibus, ut hæc diversis corporis inservient?
Desideratur, et diu fortasse desiderabitur indè, præcisa officiorum uniuscuiusque
organi in Cerebro existentis notitia: Sed interea nemo sanæ mentis sibi poterit
umquam persuadere hanc varietatem constructionis organorum cerebri ad varios
inter se fines, et munera varia non esse determinatam, uti determinatam cognosci=
=mus varietatem organorum omnium in Corpore. Determinationum præcisionem poste=
=ris relinquimus. Observata deficiunt. His deficientibus, sine fundamentis construit,
qui ratiocinia construere sibi persuadet. Curiositas excitata acuit ingenia. Id nobis
observasse sat est, eam partem humani Corporis, quam sensum internum Patres
nostri appellavunt, pluribus diversimodè constructis organis constare, et hæc orga=
=na non extricari, nisi impellente motu illo refluo N.° 79. prorsùs opposito motui
N.° 73; per quem priùs extricata fuere organa corporis, constituentia aliam partem,
quam sub voce Sensus externi cognoscimus, et quæ constituitur ab extremitatibus
Nervorum N.° 73. ad externas organi cuiuscumque Superficies protractis. Id ta=
=men satis non esse mihi videtur; nisi etiam constet internum hunc Sensum non

extricari, nisi per ordinatos gradus Succesionis, ut de universo externo Sensu fieri compertum est: ut inde pateat utrumque sub una eademque lege fieri et hanc legem constituere rectum Antropologicum, à quo uno, et non aliundè dependet Norma dimetiendi curvas ejus quascumque.

81. Non à solis quinque Sensubus vulgō cognitis venit ad Animam hic motus refluus, universam in homine Sensibilitatem constituens; Sed ab omnibus, et Singulis partibus, quarum nervosæ Superficies ab objectis quibuscumque N.º 58. tanguntur. Siculi verò organa prò suis Singulà sentiunt modis, propter diversitates tum objecti tangentis, tum dispositionis organi tacti; indè est, quod ex unàquàque Sensus externi parte diversæ, et unicuique propriæ in interno Sensu producantur impressiones, et in animà Sensationes directæ, de quibus primò agendum est: De reflexis infrà.

82. Atqui in ratione directà harum Sensationum, facultas Animæ movens modificatur N.º 77. Ergo motus Sensationibus succesivi respondere debent mutationibus in vim moventem supervenientis; et indè oritur incrementum, et modificatio motus in organo ipso, à quo ad animam venerat impulsus, ejus mutationes producens. Aucta vel dimminuta, vel turbata ergo Sensibilitate: vel augetur, vel dimminuitur, vel turbatur motus partis, a qua Sensibilitas processerat, et hic motus respondere debet Naturæ, et impulsui Sensationis, vim animæ moventem modificantis. Ammissà Sensibilitate actum est de functione organi, quod eam perdidit; Ammissà omnium organorum Sensibilitate, actum est de bità. Hi sunt motus primi, et Simpliciores humanæ Naturæ; Scilicet Animæ humanæ, cum materiali sua forma conjunctæ. Sine hisce motubus nulla in homine functio, neque vegetalis, neque organica, neque Animalis, neque demum rationalis (quæ una sui propria est) peragitur. Hi motus, salvo rerum ordine, hinc indè recedunt per datos gradus à Statu quietis; Functiones omnes, quæcumque sint per varios horum motuum gradus, et sub conditionibus varijs complentur. Nulla igitur neque imaginari potest turbatio ordinis humanam vitam physicam, moralem, æque Socialem Servantis, quæ vel à defectu, vel ab excessu horum motuum non procedat. Excessus itaque Sensationis cujuscumque, vel ejus defectus erit semper unicum, et universale morbi cuiuscumque, non physici tantum, sed et moralis, atque Socialis principium. Recte itaque maximus ingenuæ Medicinæ Parens, morbum molestam Sensationem definivit.

Demite à Stahalliano sistemate imaginariam illam intentionalitatem, per quam ubique Animam consultò agere author arthumavit; Intrà suos limites, ultrà quos nimium protractæ fuere contrahite Sanctorij, et Harvey demonstrationes; Intrà sphæram propriæ activitatis redigite Anatomicorum, Chymicorum, et Mechanicorum, Physiologorum, et Psychologorum recentiora utilissima inventa; et nil certò certius invenietis, quod datis Antropologiæ principijs, vel minimè dissentire

possit. Immò hæc omnia in rectum Subordinationis debitæ ordinem disposita, et pro suis relationibus ritè conjuncta, atque apposita hominis naturam densissimis huc usque, post tot Sæcula, post tot clarissimorum Virorum labores, obrutam tenebris illustrabunt; et indè modos ejus existentiæ omninò, et Experientiæ, et rationi, et puræ Religioni consonos facilioris erit Negotij determinare.

83. His expositis, quæ rectum indicant ad curvas propositas descendo. Morbus generaliter sumptus est molesta Sensatio. Hoc ab antecedentibus Theoreticis, ab experientià temporum, ab autopsia Medicinæ Patrum evidentissimè constat. Ergò nulla generica distinctio inter Morbos, quos sibi curandos assumpserunt Homines, postquam malo fato humani generis, et in detrimentum Artis medicæ huius corpus ex tribus integrantibus partibus constitutum, in tria Corpora dividi posse sibi persuaserunt. Sicuti vita hominis a concursu virium Cerebri, cordis, et Viscerum, ab aeris ventilatione extricatorum N.º 56. sustinetur, et sicuti ablatâ ab homine quàcumque ex hisce integralibus partibus, vel suspensis mutuis uniuscuiusque auxilijs deficit vita: ità abstractis Chyrurgia, et Pharmacia, invitis tot, queis nostra Ætas redundat inventis, invitisque innumeris circa peculiarium morborum curationes quotidiè insurgentibus, et pluribus laude quidem dignissimis Sistematibus, medicina adeò morti proxima est; ut hodie conspicuiores, et quidem Sapientissimi Præceptores publicè hanc tueantur opinionem (quâ Studiosi indè imbuuntur ab ipsis Artis incunabulis) Stare scilicet posse Artem sine theoretico Systemate, quod idem prorsus est ac dicere, posse hominem vivere, et agere sine Animâ. Proh absurditas! Sed hæc ultrà instituti rationem. Redeamus ad morbos.

84 Nulla datur inter morbos generalis differentia. Ea quæ apparet à locorum diversitate, et à complicationibus venit. Divisio æquiparatur divisioni Curvarum in Geometricas, et transcendentales juxtà Carthesium, qui primas tantùm ad Simplices Geometras, Secundas vere ad Sublimiorem Simplicium Geometrarum ordinem pertinere asseruit, eà prorsùs lege, per quam morbos minùs compositos, et sub Sensubus magis cadentes ad Chyrurgos; magis compositos verò, et à Sensubus effugientes ad Medicos propriè dictos spectare Sancitum fuit. Qui nescius sibi opinatur, ignota simpliciorum æquatione, transcendentales definire posse; is tantùm sibi poterit persuadere, cognoscere posse, et curare morbos ad medicos Spectantes, ignoratâ cognitione, et curatione morborum, quos Chyrurgicos appellamus.

85. Satis ultrò proposito Problemati fecisse igitur Autumamus, si datum sit Sex rerum propositarum, et uniuscuiusque earum seorsìm, in morbidis hominibus influxus, genericè Saltem, explicare: Fieri enim nequit, ut variationes prorsùs infinitæ individuales tùm hominum, tùm morborum, tùm quorumcumque in Natura Entium Specificè definiantur. Et ex adverso per generalia principia, ad peculiares casus descendendo, horum varietates, vel definire, vel quoad fieri potest, definitioni accedere tùm in his, tùm in omnibus ad Antropopathiam Spectantibus rebus sperandum est.

86. Sex itaque res non naturales dictæ sunt 1.º Aer. 2.º Cibus, et potus. 3.º Excreta, et

retenta 4°. Motus, et quies. 5°. Somnus, et Vigilia. 6°. Animi pathemata.

87. Convenit primò præfatas res ad proprias Classes redigere. Primæ tres spectant ad Vegetationem: quarta, et quinta ad Mechanismum; Scilicet ad conditiones reciprocationis functionum ad totius conservationem necessarias. Sexta ad Animalitatem; Scilicet ad Sensationes reflexas. De Singulis igitur agendum remanet.

88 In duas Classes dividi possunt objecta, quæ in homine ad Sensibilitatem excitandam N.° 75. Necessaria sunt. Alia quæ mechanico Simplici impulsu, et Physico tantùm contactu motum refluum N.° 79. in Nervis excitant: Alia verò, quæ præter excitatum in organis motum, ab horum actionibus alterationes patiuntur Substantiales, queis mediantibus etiam vegetationi inserviunt.

89. Aer ad hanc secundam Classem pertinet. Extrà rem foret, et Judicibus Sapientissimis injuriosum repetere, quæ de aeris Naturà, et proprietatibus, Hyppocrates; Gallilæus, Torricelli, Staallius, Boyleus, HooKius, Newtonus, Harbuthonot, Halles, De la Hire, Stancati, Haussbechius, Macbride, pluresque alij produxere, et è quibus constat aerem, inter principes Naturæ agentes in Globo nostro esse enumerandum. Omissa igitur repetitione proprietatum tùm physicarum, tùm Mechanicarum; quæ eum quasi universalem agentem in Natura constituunt; et quas quidem medico ignorare non licet; ad ea, quæ præcipuè ad argumentum spectant, descendimus. Hoc corpus à Patribus nostris uti elementum habitum à Staallio, uti Elementum simplicis associationis, est diaphanum, fluidum, Summoperè dilatabile, compressibile, et globum terraqueum ad determinatam altitudinem undequàque circumdans. Sub judice lis est, an detur aer Elementaris, et si datur, fieri non potest, ut de ejus Natura rectè constanterque judicemus. Id de eo certò scimus, nemine hodiè discrepante, eùm constare (propè solum præcipuè) ex particulis Corporum omnium in Globo existentium, quas prò necessitate vicissim attrahit, et communicat continenter.

90 Ab hoc heterogeneo corpore corpora quæcumque attrahunt particulas sibi analogas sub conditionibus diversis, et varijs, et fortasse unicuique proprijs, et per quas indè valent à se heterogeneas repellere. Pulmones ingreditur aer; Prò ventilatore toto Corpori inservit, et prò vi suscitante machinam viventem Pulmonum, valet, ut Physiologis patet ad conservandum ignem toti individuo necessarium. Interna pulmonum Superficies non minùs, quam superficies cunctæ internæ suo peculiari muco munitæ sunt; qui mucus ijs non aliud est, quam id quod Epidermis est cuti.

91. Præcipuum hujus muci, hujusque Epidermidis officium est tueri extremitates Nervorum N.° 75. ab injurijs objectorum impropriorum parti, in quam cadunt, et ab ultroneà activitate propriorum, nè à nimia ab ipsis allata Sensibilitate, Anima Nimios, et ideò non Naturales motus in ijsdem organis à quibus Sensibilitas ei ipsi molesta N.° 83. venerat, excitare cogatur. Attamen neque mucus internè, neq.e Epidermis externè (nisi vitiosè excedant à Statu Naturali) impedire valent activitatem objectorum, quæ propria sunt ad necessariam in ijs nervis Sensibilitatem excitandam, per quam indè unumquodque Organon ad functiones suas promovetur; Sed maximè valent ad secernendas ab objectis secundæ Classis Molleculas, sui organo

improprias, ab ijs quæ propria sunt ad ipsius, et totius individui conservationem. Ità Pulmones resorptis ab aere Molleculis sibi, et toti individuo proprijs residuas, et particulis excrementitijs Corporis mixtas à se, et à toto Corpore expellant, universo aeris Atmosphærici Corpori in compensationem ablatarum communicandas. Ità Epydermis, dum locum perhibet introductioni Molleculárum Atmosphæræ, quæ Corporis conservationi utilia sunt, et necessaria: aditum negat nocuis, aut Heterogeneis, queis scatet aereum Corpus N.º 89; et locum præbet eodem tempore excrementitijs perspirantibus, inutilibus iam factis Corpori, à quo exeunt se communicandi corpori aereo, cui utilia ad alios usus redduntur.

Cavendum verò est, ne decipiamur putantes ad intelligentiam Supradictarum, et quarumcumque Antropologicarum functionum nos pervenire posse per eas leges, per quas Machinarum insensibilium vires dimetiri solemus. Hæc utilia quidem sunt ad datos usque progressionis gradus; Sed ultrà hos producta veritatis dignitatem amittunt, et hominum in ijs versatissimorum mentes in maximos sæpè errores inducunt (à maximis enim viris maximi errores) quos indè, more pecudum, Vulgus hominum superstitiosè tuetur. Sensibilitas, motuum in homine, determinatrix N.º 70, ad 82; nullo modo supradictis legibus subjicitur. Proprietatibus Physicis Corporum, et Molleculárum vim attractionis, et repulsionis suam debere Causam Newton, Keill, Freind, queis præcæteris ejus cognitionem debemus demonstrarunt; ideòque eas legibus, quæ massis Sensibilibus communes sunt, non subjectas esse decreverunt, et fassi huiusce causæ naturam se ignorare, posteris ejus indaginem relinquere maluerunt, quàm fictitiam admittere. Combinatis indè innumeris harum virium indefinitarum phænomenis, aliquot ab his earum agendi modorum leges eruere conati sunt, quæ aliquandò fortasse ad integrum hàc in re construendum Systema physicum inservient. Ità indicato hic loci officio præcipuo Epydermidis tùm mucosæ superficierum internarum; tùm membranosæ superficiei externæ; ingenuè fatemur in tenebras hùc usque nimis versari circa Mechanismum minutarum particularum, à quibus Massæ Sensibiles componuntur: Undè est, quod non liceat nisi imaginari circa modos, per quos ab ipsa Epydermide utilis ex particulis Massarum illi accedentium attrahuntur, noxiæ repelluntur. Antropologicæ tamen cognitioni nemo, credam inficiabitur, Summoperè prodesse considerationem horum effectuum; etiamsi in eorum veras causas non liceat penetrare. Æquè à recto indagandæ veritatis tramite divergit, tùm quis, inconsideratis in historia Naturæ effectibus, sibi persuadet per saltus impunè præterire posse in ordine Naturæ eas lacunas, in quas Sensuum nostrorũ imbecillitas incidit sæpissimè; tùm quis imaginationi laxatis habenis poeticas sibi ideas effingit.

92. Omissis, ut omisimus N.º 89 quæstiones de aeris Natura, effectubus mechanicis, Scilicet fluiditatis, gravitationis, elasticitatis aeris, ut potè ijs, quæ et satis nota sunt, et fortasse ultrà sphæram suæ activitatis protracta; quia minùs quàm par est ab effectubus infinitorum in ejus compositionem ingredientium distinctas, ad ea, quæ magis ad argumentum faciunt, attentionem convertere oportet. Præter supradictas mechanicas vires, quotidiana experientia, et Physicorum Universus consensus Nos edocent, in vim suorum componentium, Aerem esse genericum quasi

corporum omnium dissolvens; et ut aurum ipsum, quod cæteroquin ab aere non dissolubile existimatur, ipsemet in elaboratorio chymico, ubi aquæ regiæ quanti=tas parata fuerat, rubigine propria affectum jam viderim. Ab aere corpora fi=xa volatilizari, ut ajunt, fixari volatilia, pluraque quiescentia in motum adduci, et innumeras in Naturæ regnis mutationes fieri, præter cæteros observarunt se=dulissimè Boyleus, De la Hire, Henslaw, Desaguliers. &c

93. Ex his arguitur summa necessitas enunciatæ universæ superficierum om=nium in corpore existentium Epydermidis, ut ab objectorum impropriorum injurijs ejus subiectæ substantiæ tueantur. Quasi dicam veluti ab oleo tuentur illinitæ ferreæ massæ, quæ aëri exponuntur.

94. Nemo medicorum ignorat, aut saltem ignorare non debet, Medici officium, quo=ad partem Artis operativam, non ultrà se extendere, quàm ad remotionem im=pedimentorum, quæ contranituntur activitati curatricis Naturæ. Genericam hanc infallibilem universæ Medicæ Artis legem ad partiulares Casus satis est ritè applicare; ut evidentissimè pateat pernicies ab aere producta in vulneri=bus, ulceribusque cunctis, ejus contactui subjectis.

95. Substãtiæ corporis Epydermidis tutamine Nº. 90. 91. quomodocumque orbatæ, exponuntur contactui singulorum Aerei Corporis componentium, quorum ma=xima pars ijs hostilis esse debet, docente Experientia. Hæ igitur particulæ totidem continenter apponunt Nova impedimenta viribus Sanatricis Naturæ. Nemo Chyrurgicorum nescit, quantò facilius, quantoque celerius vulnera, ulceraque, cæteris paribus, curentur ubi salubrior Atmosphæra respiratur; Nemo nescit quantæ utilitatis sit rarior, quæ fieri per circumstantias rerum possit, apparatuum remotio, et quantæ molis sit manuum in medendo cele=ritas, cum debità cautione conjuncta. Singularis prorsùs hac in re mihi se se obtulit observatio Anno 1733. in obsidione Syracusarum in Siciliæ Regno. Quotquot Hyspanis militibus à bellicis urbis tormentis adveniebant vulne=ra, et si leviora, in totidem citius, tardiusve degenerabant Sphacellos; itaut de tempestatis calore, de Castrorum, et præcipuè Nosocomij, palustri positio=ne, et Africis exposità ventis parum curantes Castrenses Medici, Hispanũ Ducem induxerint ad querimonias cum Duce Germanico de venenato, contrà jura belli, pulvere pyrio; Neque à præconcepta opinione, non obstantibus adsertis adversi exercitus, se se removere valuerunt; usquedum ex consilio Su=pervocati ex Messanà Urbe Medici, mutatis Nosocomij positione, et aspectu, et aliqua ex parte curandi methodo, effectus opinionis fallaciam confirmaverit. Hoc in casu particulis summoperè noxijs scatebat Aereum Corpus. Data una tantum graduum, et proportionum varietate, ijs semper scatere nemo infi=ciabitur. Ergo ejus contactus semper, iterumque semper affert obstacula activitati Sanatricis Naturæ. Mutationes aeris in ulceribus Pulmonum om=ni ævo commendatæ, quæ exposuimus circa Aeris influxum confirmare videntur. Expositá verò generalia principia, ut potè eà, per quæ cuncta solvi possunt par=ticularia hujusce rei problemata, ab particularitatum enumeratione nos jure

absolvere videntur.

96. Veri examinanda succedunt cibus, et potus; id scilicet, quod sub alimenti voce cognoscimus. Alimentum genericè sumptum est quidquid in Corpus immittitur, per diversas methamorphoses tandem in ipsius substantiam convertendum ad reparationem mollecularum, quæ motu frictione & distrahuntur. Juxtà communem sensuum est quidquid per os sumptum ad supradictum usum inservit. Consule Hyppocratem de alimento, et de liquidorum usu.

97. Ea, quæ per os assumuntur plurimum, observata sunt, uti mutationibus subjecta: parum verò, uti objecta excitantia activitatem organorum, queis mediantibus successivas mutationes patiuntur. Hinc fortassè est, quod plures adhuc in hisce Animalis vegetantis functionibus permaneant obscuritates, quas ante omnia prò viribus meis dissipare contendam. Et primò advertendum est cum Hyppocrate de locis in homine, omnia in mycrocosmo quocumque N.º 9. se adamussim gerere uti in macrocosmo; cujus unaquæque Entium Species pars est sui totius per modos infinitè varios relativa. Consensus unus, conspiratio una, consentientia omnia lib: de Alim. Sicuti igitur ad cognitionem macrocosmicam è tenebris eruendam nil utilius expertum fuit, quàm entia per proprietates unicuique specificas distincta, in Classicos ordines, et inde speciales redigere; redacta indè per specificas relationes, tùm cum Entibus aliorum ordinum, tùm cum suo Toto Universali considerare: ità pariter omne organum in mycrocosmo hominis sub duplici aspectu esse considerandum reor; Scilicet primò, uti sibi peculiaribus ditatum proprietatibus N.º 11: per quas est id quod est, et per quas modis sibi proprijs existit, et agit; Uti mycrocosmus minoris ordinis in mycrocosmo mayori, et magis composito: Secundò uti pars varijmodè relativa cum omnibus, et singulis sui totius partibus, et prò modis unicuique proprijs ad totius conservationem inserviens.

98 Nemo Medicorum, qui Phylosophi nomen mereatur, non cognovit necessitatê supradictæ duplicis perquisitionis ad statuenda suæ artis scientifica fundamenta, supra quæ, mediantibus alijs aliundè collectis, ope sensuum, et mentis cognitionibus, struatur ejus pars operativa, per quam Ars inde perficitur, et sine quibus erit semper ars sine Arte. Nemo tamen hùc usque, quoad sciam in Mechanismum relationum sensibilitatis universæ cum vi universâ movente Animæ penetravit: Indè est, quod motoribus principibus ignotis, aut fictitios substituerint homines, aut subalternos ad principium dignitatem elevaverint, et hinc à rectò per diversa recesserint. Memoratis itaque suprà expositis motuum, et sensibilitatis generalibus principijs, ad particulares masticationis, Chymificationis, Chylificationis, Nutritionis, et Assimilationis, ut asunt, functiones oportet descendere, quæ, si ritè, et rectè procedant à datis principijs: statim ex se in aperto veniunt, Non tantum influxus Alimentorum in sano homine, et eorum effectus in Morboso; Sed et cæteræ omnes, quæ in homine vivente sub una, eademque universali lege fiunt, mutationes.

99. Nullum in Sensubus externis organon cognoscimus, quod leviori Epydermico muco instructum sit, quàm interna oris Superficies, quæ Sensum gustus constituit. Per hunc Sensum præcipuè animadvertitur Anima de rebus utilibus, et nocuis incremento, et conservationi sui Corporis. Quod sapit nutrit, pronunciavit venerabilis Antiquitas. Seducti vero nimiùm, indè homines ab observationibus particularibus, non ritè connexis, quæ in homine vel ex Idiosincratijs, vel ex vitio educationis, et habitudinis, vel ex pluribus alijs externis caussis producuntur, de firmitate Supradicti axiomatis (cujus veritas ab Universæ Naturæ ordine confirmatur) quandoque dubitarunt, et indè appendices legis, et varietates modorum, queis ubique in Natura eadem lex completur, prò infirmitate legis suscipientes, eamque ideo contrà rectum rationis usum spernentes in observatis particularitatibus Seduli, innumeras Magistralitates ab infirma nimiùm Experientia deductas protulere; quæ infensissimis tenebris, summo Ingeniorũ vastissimorum labore paratis, Simplicissima æquè, ac firmissima Antropologiæ principia obruerunt. Nè tamen ultrà debitos fines procedamus in Cristicis animadvertendum, has ipsas Magistralitates, et cætera quæque recentiorum inventa in maximam esse versura Artis utilitatem, si in sphæram propriæ Activitatis contracta, et per mutuas relationes inter se connexa, ad debitum Simplicissimarum veritatum terminum reducantur. Specimen rei agendæ præbeat alimentorum influxus, et Mechanismus.

100 Famis est molesta Sensatio, quæ provenit ab inertia nervosæ tunicæ ventriculi deficientibus objectis alimentitijs ad eam excitandam necessarijs. Ab hac Sensatione Anima relativè modificatur ab hujus modificatione promoventur organa ad perquisitionem objectorum, per quæ ventriculi actione excitata molesta anterior Sensatio removeatur. Ad alimenta ideò recurrimus. Hæc suis ditata qualitatibus, et aereis particulis mixta (quæ gravitate suà præ cæteris sibi proprijs qualitatibus N.° 89. ad 94. eorum vim supra organum acuunt) os invadunt. Anima statim sentit eorum præsentiam per Nervos in ore hiantes, et à novà Sensatione in novam modificationem ducitur N.° 75. In ratione directà hujus Novæ modificationis, vis ejus movens versus organon, à quo Sensatio venerat, determinatur N.° 82; à Nova determinatione nervi, qui in oris musculis dispersi sunt N.° 76. ad sibi proprias actiones excitantur, excitatique exercent munera sibi indicta comminuendi, Salivæ immiscendi, et solvendi alimenta; uti disertissimè Boherrhaavius, Winslowius, Verney, Borellus, Croon, Cheyne, Keill, Lowerus, Cowperus, Morgagni &c, a quorum placitis felici, sed non facili Conjugio junctis, veritatem, quam dati argumenti non est indagare, circà Musculorum Structuram, directiones, nomenclaturam, officia &c. datum erit erruere.

101. Ab Epydermico interim tenuissimo quantumvis muco particulis alimentorum (quæ attenuatæ fuere, et horum organorum Substantijs omogeneæ jàm factæ sunt)

datur aditus, ut ab eorum vasibus bibulis, sic dictis, absorbeantur, dum heteroge=nea ab ijsdem arcentur. Hinc a functione masticationis, alimentorum superficies ultrò mutatur, non minùs quam a resorptione bibulorum, et a miscella Salivæ, aeris, et caloris loci mutantur quoque, in parte saltem, eorum physicæ qualitates. Undè est quod mediantibus hisce primis tùm Superficierum, tùm essentiæ mutationibus alimenta fiant objecta prorsùs inepta, et impropria ad impulsum faciendum, quem fecerant anteà supra nervos oris; et indè Anima, cessante Sensatione, à pristinâ modificatione recedat, et hinc recedere debeat etiam impetus ab ipsa promotus, in Musculis Buccinatori, temporalibus, Masseteve, Pterygoydeis, Digastricis, Hyloglossis = ceratoglossis &c.

102. Hinc ultrò est; quod alimenta ità mutata, atque attenuata versus oris fundum, dirigantur; mediante vero recepta mutatione, et attenuatione proprietatem acquisita sunt, per quam impulsum facere valeant super Nervos in fundi Oris superficie dispositos. Ab his ergò nova Sensatio; ab hac nova animæ modificatio; et indè ab hac ipsi relativi in partem, à qua Sensatio venerat, impetus N.° 101; a quibus tandem musculorum ad deglutitionem inservientium Actio excitatur.

103. An non Superficies organorum omnium sunt, ubique in homine ità constructæ; ut sub ijsdem conditionibus ijdem producantur effectus? Ubique Nervi pro suis in singulò modis (uti est de quinque vulgò cognitis Sensubus externis) Sensibilitatē excitantes; Ubique Musculi ad peculiaria sibi officia dispositi, motum à Sensibilitate promotum suscipientes, et exequentes; Ubique Epydermis; et ipsa officia sua n.° 90. 91. complens; Ubique igitur omnia sub unâ simplici eàque evidentissima, atque constanti, et non imaginaria, aut Hypotetica lege se habent sub innumeris varietatibus, uti in generali Natura N.° 61. Hæ varietates non à variata lege, sed à variatis, et diversimodè complicatis objectorum, et organorum conditionibus. Quæ igitur ex his, licet innumera varia; et plus, minusve complicata insurgunt problemata, si ritè ad proprias redigantur Classes, ut redacta sunt in algebra problæmata Curvarum; ab indicato rectò omnia pendere nemo sapiens non videt. Ergò omnia sub legibus æquationum ad eam, cujus Susceptibilia sunt, solutionem reduci posse, nemo negabit. Ergò medicinæ pars scientifica, si ab innumeris liberetur eam opprimentibus Superstitionibus, et ad simplicissimam recti Antropologici cognitionem perducatur, certitudinem certioribus Artibus non invidebit. Problemata Sextæ, septimæque Classis, quæ æquationem non admittunt, Artis Numerorum certitudini; non obstare omnibus compertum est. Complicationes igitur Casuum particularium obstare non debent certitudini Artis Medicæ; Si hæc ad sui Simpliciora principia reducatur, et ad hæc redacta in rectum usum convertatur.

104. Ut propiùs ad intelligentiam generici influxus, tùm alimentorum, tùm objectorum quorumcumque in Corpore vivente accedamus, Animadvertendum remanet, in proportionali Æquilibrio virium N.° 56, in quo vitam consistere vidimus, vires ità esse distributas, ut actio nullius organi ab impulsu potentiæ moventis ad exercitium promoveatur sinè aliquali aliarum functionum dispendio.

A modificatione enim ad Animam allata per Sensationem, exempli gratia a ventriculo venientem, in ventriculo movens animæ facultas; et Cerebri illi Syncronæ vis tantò magis intenduntur, quantò minùs ab alijs organis ad Cerebrum Sensationis affertur. Varietates igitur veniunt ab hac varietate distributionis, Massa licet virium universa semper eadem permanente. Quidquid igitur ventriculo donat eo tempore, quo ventriculus intensius agit, ab alijs organis demit, et pari passu, sub eadem distributione Œconomicæ legis, res se habet, in quocumque alio organo, a quo Sensatio proveniat, Sincronam sibi, in Animà mutationem producens. Effectus protractæ nimis Actionis organorum ad Subsequentem Classem Spectant. De his suo loco.

105. Alimenta tandem perveniunt ad restaurandam eamdem massam virium; quandò immutata ab organis ab horum Substantijs intussuscepta, cum his identificantur. Ad id, ut alimenta in Molleculas substantiales organorum, à quibus intussuscipienda sunt, convertantur, præter omnia, necesse est, ut in varios ipsa liquores abeant; quorum particulæ minimæ diversis constent diametris, et formis ad subeunda orificia plurimum diversa, vel ad ea evitanda, necessarijs; ut videre est apud recentiores Mechanicos, qui Secretionum opus ad Geometricas dimensiones redigere magno quidem magis, quàm utili labore, conati sunt. His tamen omnibus ommissis, id certum est, solidis alimentis, ut in supradictos liquores varies convertantur necessariam esse Miscellam cum Corporibus magis fluidis. Hinc potulentorum maxima necessitas. Historia docet Animalia minùs perspirantia, et quæ herbis multo succo refertis aluntur, minoris potulentorum quantitatis indigere. Sub ijsdem conditionibus eadem in homine observatur diversitas. Extrà dubitationis aleam est, aquam universum Animalibus potum esse; Nil enim ea in Natura Aptius ad intentiones Naturæ complendas. Quid ea melius dissolvit, emollit, refrigerat? Vini perniciem ipse primùs inventor expertus est. De fermentatis Liquoribus idem ac de medicamentis;

Data tempore prosunt, et bona non apto tempore sepe nocent. Id certo Scimus ab hisce liquoribus condensari potius, quàm dissolvi glutinosas corporũ substantias, quas aliunde certò pariter scimus, omnium aptissimas esse ad Nutritionem. An non viris in arte peritis hæc sufficiunt ad electionem Ciborum, et potulentorum in infinitè varijs ægrorum, atque ægritudinum condittionibus?

106 Ex dictis consequitur firmitas Hyppocraticæ doctrinæ, quæ in addictione et dectractione operativam Medicinæ partem omninò consistere docet. Sapientis idcircò Medici est, Antequam ad operationem quamcumq.e veniat, cognovisse, an ex objectorum excessu, an defectu, organorum actio lædatur; An ex improprietate objecti? (quod quamvis imperfectè indicat, Boherravius agens de morbis ab errore loci) In quo organo excessus, vel defectus, aut improprietas Sensibilitatem molestam induxerit? quænam sint secretoria huic

organo magis convenientia. Quandò sint ab organis molesta objecta removenda;
quandò per propriam organorum actionem exaltanda? quibus denique auxilijs
Circumstantijs rerum magis convenientibus, judicationibus vitè, quoad fieri potest
cognitis, sit consulendum; ne dum Sanatrici Naturæ impedimenta removere sa-
-tagimus, majora opponamus? Tot inter circumstantiarum varietates præter ea,
quæ à conditionibus locorum, tempestatum, temperamentorum, ut ajunt, quis
audeat Sistematizare circa peculiares influxus alimentorum in morbidis Cor=
=poribus? Utinam tot perniciosis superstitionibus hâc in re ubique gentium, et
in cultioribus præcipuè Urbibus, non scaterent præjudicatæ mentes timidorum
Ægrotorum, et Medici Vulgus! Si quis hac in re meliora iis, quæ in aureis de Sa-
-lubri diætâ, de humidorum usu, de Diæta, de Alimentò, de flatibus, et de ratio-
-ne victus in acutis, Hyppocratis libris continentur, proferre valet, huic victo-
-riæ palma, jure merito, judicanda est. Ego interim contentus innumeras va-
-rietates organorum vegetationi Animalium inservientium ad unicam Sim-
=plicissimam generalem legem redegisse, in particularibus a Præceptoris Coi
Doctrinæ legi Supradictæ in omnibus consona, recedere non audeo, et quam 10
repetere inutile existimo. Id tamen vulgò animadvertendum reor, prò verbo
Diæta regimen sonare. Regimen verò sonat normam redigendi Casus omnes
peculiares ad Statuta generalis ordinis leges. Hæc pecularium ad genus
redactio fieri non potest, ut determinetur, nisi determinatis Circumstantijs,
quæ casus particulares variant in infinitum. Quis huiusmodi valet Circum=
=stantiarum varietates indeterminato casu, determinare? Annon is præsume-
=ret Sijstematizare, ut ajunt, ubi non datur Systemati Locus? An non hæc par=
=ticularia imaginata Systemata cognitionem obruerent necessarij in artibus,
et rebus quibuscumque generalis Systematis? An non id fortasse ab Hyppo=
=crate, usque ad nos in rebus Medicis evenit? Sat est præcepta divini senis
in libris de morbis collecta cum hodiernis praticis Magistralitatibus com-
=parare, ut in aperto veniat, quantum ab hisce particularibus curationum
Systematibus suæ certitudinis Medicina perdiderit. Medicina enim ad
eumdem contraria facit, et hæc etiam sibi ipsis contraria. Loc. in Homine
107 Excreta, et retenta succedunt. Sub voce excreti intelligimus quidquid inu-
-tile Corpori per organa ad hoc usum destinata, à Corpore expellitur. Vidimus
alimenta successivè ad aliquod organon pervenientia, uti objecta ipsi pro-
=pria ejusdem organi activitatem excitare, et inde ab hac activitate im=
=mutari, tùm quoad portionem eorum substantialem à bibulis vasibus cui=
=uscumque organi resorptam; tùm quoad formalem diversimodè configuratam.
Ab hac mutatione quantum impropria facta sunt organo, à quo mutata fuere,
eo magis propria fiunt alteri, cui succedunt. et hoc est, quod sub Secretionis
voce cognoscimus. Si per regulam rei, et census organorum, quorumcumque
officia undequaque examinanda seriò suscipiantur, semper, et ubiq; sub plu=
-ribus modis, lex hæc unica ad unguem servata reperitur. Sub eam itaque

ad Crassa usque intestina perveniunt Residua alimentorum, ab ore eò usque orbata particulis suis Substantialibus, alijsque Successivè per methamorphoses varias acquisitis 101-102, ibi novam denuò elaborationem sustinent; propter quam pars eorum prorsus inutilis facta Corpori, ab utilibus particulis, quæ subeunt nova organa, à quibus novas itidem suscipere mutationes debent, secernuntur, Secretaq. stimulant nervorum villos in interna horum intestinorum tunica hiantes, et inde nova ad animam Sensatio, à qua ita modificatur, ut promoveat vim expultricem, motumque eorum peristalticum, non minus quam vim Diaphragmatis, et Musculorum ad opus excretionis inservientium. vide Boer. Morgagn. Diversitas igitur ea tantum est, ut sub voce Secretionis veniat expulsio ab organo antecedenti objecti adhuc necessarij conservationi individui, et subeuntis novum organum 101; à quo novæ indè subeunt methamorphoses utiles Corpori &. sub voce excretionis expulsio objectorum Corpori inutilium, quæ indè in alios generalis Naturæ usus convertuntur.

108. Cognita, et ritè percepta hac quam nemo hominum sanæ mentis in dubiũ revocare potest simplicissima lege successivæ progressionis assumptorum, retentorum, secretorum, atque excretorum, eaque ritè combinatà cum antecedente enunciata generaliori æque, ac simplicissima, et evidentia ipsa evidentiori lege Sensibilitatis motuum omnium promotricis; longum nimis, et laboriosum arbitror, fore ijs, qui nesciunt à generalibus ad partiularia descendere; vobis autem, Sapientissimi, supervacaneum, si in peculiares influxus excretorum, et retentorum velim contendere. Quoscumque enim imaginare possimus, ij semper nil aliud esse possunt, quam infinitè variæ modificationes ejusdem simplicissimæ legis, per quam omnia, à maximis ad infinitè minima, in Natura hominis phænomena succedunt. Annon ab ea norma certissima se gerendi in casibus particularibus quibuscumque? Antiquiores, quos ego plurimum vereor, et colo, ~~[illegible]~~ experientia duce Medicamenta evacuantia in Classes diviserunt; Scilicet in Colagoga, Hydragoga, Emenagoga, et alia. Præcariæ indè Posterorum Theoriæ in pessimum fructum hanc Experientiam converterunt. Aliæ enim has specificas objectorum proprietates, quæ stant arti nostræ, Uti suæ unicuique arti instrumenta, omninò denegarunt; Aliæ earum activitates non susceptibilitati diversæ organorum appropriantes, sed directè ad sibi suppositas erroneas, ut plurimũm, morborum causas referendo, innumeram Specificorum turbam indè deductæ sunt, et contrariorum incredulati per Superstitiones oppugnando, et medicinam has inter oppositas extremitates agitando, ~~Artem~~ illi debitam fidem diripuerunt, et hinc Artem Nobilissimam, per contaria, in deceptionem hominum, potiusquam in Sanationem prostituerunt. Annon hisce controversijs Supradictæ legis cognitio finem imponere valet? Una est Sensi=

-bilitas innumeris variata modis, uti sub innumeris varietatibus una est Universi creati Natura. Quo jure itaque hos errores humani ratiocinij incertitudini Artis audent homines imputare? Diversitates principes, aut à diversitate objecti vel retenti, vel excreti, aut à diversitate loci excretionis, vel retentionis. Effectuum igitur varietates uti totidem, curvæ plus, minusve compositæ respiciendæ sunt, eæque omnes sub norma recti; Scilicet supradictæ legis tantum, et non alio quocumque modo dimetiri possunt, ut earum ratio ad calculos redacta, vel liquidetur, vel ad rectum, quoad fieri potest approximetur. Aeris, et alimentorum expositi effectus pro norma inservire debent in cæteris quæcumque accidunt in Corpore, vel sub retenti, vel sub secreti, et excreti nomine cognitis. Una igitur ubique in homine simplicissima lex; varietates innumeræ, et hæ adamussim respondentes ubique varietatibus, quas experimur in quinque vulgò cognitis Sensubus externis, qui nil ultrà sunt sensui integro externo, quam partes sui totius.

109 Ad Classem 2dam N.º 87. Quietem, et motum; Somnum, et vigiliam pertinere diximus. Scilicet ad Mechanismum propriè dictum, et ad proprietates ipsas substantiarum mutuo fœdere ad hominis constitutionem concurrentium, quæ singulæ à Mechanismo vegetationis sunt distinguendæ. Hunc animalia communem habent cum reliquis Entibus: per illum Animale regnum à cæteris distinguitur. Hujus distinctionis normam observatio ipsa perhibet. Fœtus in utero huic adhærens dormit, et vegetat; Anima enim per sensationes externas non recedit a modificatione sua primordiale ultrà modos, qui sufficiunt ad incrementum sui Corporis, et intrà quorum limites ipsa neque patitur, neque sentit, mutationes, quæ suo Corpori adveniunt. Sicuti anima non potest unquam N.º 77. neque cognoscere, neque judicare, neque determinare (quamquam facultatibus prædita sit cognoscendi, judicandi, et liberè determinandi) circa res, quas anteà quoquo modo non sensevit; ità de ijs, quæ eveniunt inter confinia supradictæ extensionis suæ facultatis moventis, nunquam judicare, atque determinare ad libitum valet; quia motus refluus hisce gradibus restrictus, nequit à Somno excitare animam non ultrà istos limites dormiendo agentem, et semper vegetationis officijs Cerebri viribus conjunctam N.º 77. præstantem, licet veluti nescia ipsa non animadvertat.

110. Non ideò, etsi in hisce functionibus anima voluntatis non exerceat imperium, jus inde venit Physiologis eas eximendi à quocumque ejus dominio, atque subordinatione. Anne justus erit in politicis, qui leges fœderis cum dispotismo confundat? Non nè ex hujuscemodi confusione perfecta oriretur Recti politici Ignoratio? idem evenisse in Antropologicis, quisque vestrum evidentissimè non nè videt? Rectum Antropologicus, Recto politico comparatus

suæ Naturæ intelligentiam exhibet faciliùs, quam comparatus Recto Geome=
=trico. In hoc enim, quicumque vel minimi hinc inde recessus Naturam recti in
Curvarum Naturam immutant. In illis non mutatâ Naturâ Recti, hinc indè
lineæ recedunt à præcisione propria Recti Geometrici sinè læsione rectitudinis
propriæ Antropologicis, et politicis rebus. Hinc est, quod curvæ turbatrices utri=
=usque hujus recti ad transcendentales, ut plurimum, ni dicam semper, perti=
=neant; in quarum problæmatibus Solutio præcisior est ea, quæ solutionis im=
=possibilitate demonstratâ, cognitâque in ulteriori approximatione quiescit.
Quiescendo interim circâ modos varios, per quos anima vel nescia, vel con=
=sciæ vim suam moventem in suum Corpus exercet. Satis pro instituto pre=
=senti erit; ut cognoscamus diversitates modorum in motubus quibuscumq.
non esse, nisi modificationes varias in vim Animæ moventem inductas, vel
ab indefinitè varia Sensibilitate directa, de qua agimus huc usque, vel a
Sensibilitate Resflexa, de qua agendum, quum de Animi pathæmatibus
agemus, postquam de motu, et quiete actum fuerit.

111. Quisque, propria Experientia, cognoscit suas vires limitatas esse. Hæc
massa virium limitata constat ex combinatione virium Animalium, et Corpo=
=rearum N.º 56. Ipsa proportionaliter distribuitur singulis organis ad uni=
=uscuiusque functionum complementum sub inevitabili lege mutui fœnoris,
per quam reciprocè in actionem protractam unius partis concurrunt partes
massæ, quæ ad cæteras pertinent. Hujusce legis veritas à quotidiana confir=
=matur Experientia. Ergo actioni ultrà modum quomodocumque protractæ
unius partis cæteræ omnes contribuunt. Diuturna igitur duratio motus au=
=cti in quocumque organo Seriùs, Citiùsve, alterato motuum Equilibrio, in
universale detrimentum convertitur.

112. Hoc igitur Equilibrium non læditur à deffectu materiei Nutritiæ, ut de an=
=tecedenti dictum fuit N.º 100; quod ad vegetationem propriè spectat, et quod
per appositionem novarum Substantiarum materialium reparatur; hoc
autem, de quo agimus, non à deffectu materiei Nutritiæ, sed aut à deficientia
facultatis moventis, aut à Nimia intensitate motus diù protracti in una
parte, quæ per legem œconomicæ distributionis N.º 110. fieri non possunt sinè
læsione totius Machinæ. Hæc igitur 2dæ Classis læsio nullo modo per novã
materiam Nutritiam reparari potest; sed tantùm, vel viribus deficientibus
animæ consulendo, vel Equilibrium motus reordinando. Uni satisfacit som=
=nus, alteri quies partium. Non tamen ex eo est, quod ambæ hæ Classes repa=
=rationis Mutuis ad conservationem Vitæ inter se non foveantur auxilijs;
quin immò ad omnium complementum ambæ conspirant pro modis unaqua=
=que suis, quos tamen modos alios ab alteris probè distinguere oportet. In
motu, et vigilia Molleculæ distrahuntur à Substantijs, quæ indè reparationẽ

exigunt; et per varias methamorphoses N.º 100 ad 107. reparatrices fiunt. In Somno, et quiete antecedenter disposita suis homogeneis conciliatis facile attra=huntur, et ecce ingens nutritionis opus completum. Ita per diem calor Solis motu succos Nutritios elaborat, et ad omnes plantarum partes distribuit: per noctem ve=ro quiescente Calore, motuque elaborati succi partibus apponuntur. Vigiliæ in=vito quocumque alimento ad consumptionem ducunt: Dormientia Animalia sine alimento diu conservantur. Historia Medica non caret exemplis utrius=que in hominibus.

113. Corpus neque dormit, neque vigilat; Sed Anima coacta ad vigilandum in=stantibus Sensationibus in queis semper, vel molestæ, vel gratæ sint, ipsa pa=tiens est, et cogitur N.º 82, in ratione directa earum, vim suam moventem in=tendere, et in ratione directa intensitatis suæ exercitationis, reparatione vi=rium consumptarum indiget.

114. Præfata reparatio fit in Somno. Anima enim et organa Sensus interni tunc eximuntur ab omni impulsu motuum reffluorum N.º 79. His cessantibus non ultra extendit suam vim moventem, quam ad eas functiones, quas dormi=ens exercuerat in utero, et in quas nunquam advertere potest N.º 77, et a quibus inde non patitur; Nisi excedant objecta has promoventia, vel deficiant ultra modum, et queis in Casibus a statu suæ respective quietis, et a somno suam virium reparatore Anima turbatur, et hujusmodi turbatione turbatur opus oppositionis N.º 111; ex quibus, uti rite deducitur ab omnibus huc usque ex=positis Antropologiæ legibus, opponuntur nova obstacula Medicatrici Na=turæ, quæ tota est, et nititur in recuperationem sui ordinis. Sicuti itaque excessus motus, et Vigiliæ impedit, et appositionem mollecularum reparan=tium, et appositas ultro destruit: Ita e contra excessus somni, et quietis in contrariam prorsus habitudinem, per legem contrariorum facile cognoscen=dam, in inertiam organorum fibras adducit. Exinde igitur cognitio descendit recti usus utriusque contrarij, tum in Sanitate, tum in Morbis quibuscumque

115 Infinitus essem, si persequar peculiaria in re tam universa; satis est nosse, peculiares Casus quoscumque, nil esse aliud, quam varietates circumstantia=rum, et Conditionum: istæ propemodum infinitæ, et in infinitum variæ esse pos=sint; Non possunt tamen quidquam detrahere veritati legis generalis, quæ vera una, eademque stat semper, et constans. Igitur sub ejus norma, si eam diligenter attendas, et sequaris, comite sedula animadversione, ad solutionem, vel saltem ad approximationem differentiarum datum erit pervenire: Secus si eam ignores, aut negligas. Nam sine ea fieri numquam poterit, nisi fortuito, et perraro, ut quid recti hac in re pronuncietur.

116 Ad ultimam Animi Pathematum Classem ij motus pertinent, qui susci=tantur a genere Sensationum, prorsus diverso ab eo, de quo agimus huc usque, et a quo Animæ facultas movens pariter determinatur ad impulsus tum utiles, tum nocuos conservationi totius. Hæ Sensationes a Psychologis vocantur Ref=

flexæ, ideoque distinguuntur ab ijs, de quibus usque adhuc, uti directæ egimus.

117. Sensationes resflexæ differunt à directis præcipuè in eo, quod harum productioni necessaria semper sit præsentia objecti; illæ è contrà semper, absente objecto, animam afficiunt, uti affecta fuerat ab ipsius objecti præsentia. Ergo Mechanismus harum inversè habere se debet à directarum Mechanismo. Sensationes verò, quæ ab ambarum concursu eveniunt, et mixtæ appellantur, silentio prætereo; principibus enim cognitis, unusquisque per facilè de his judicare valet.

118. Non licet immorari in persequendis opinionibus, quas de hac re innumeras, et prorsùs inutiles protulerunt Antiquiores æque, ac recentiores phylosophi. Miror tamen, quod istis nunquam defuerint sectatores, inter quorū dissidia factum est, ut Studiosi à tot ambagibus circumlocutionum inutilium irretiti, ac defatigati satiùs putaverint earum realitatem, vel in dubium vertere, aut negare: quam oleum, et operam perdere in perquirendo, quod anteriores non invenere. Hinc, et factum fuisse reor, ut hoc 2dūm genus Sensationum à Physiologis, omninò prætermissum, Psychologi animæ facultati, quam imaginationem appellant, omninò tribuerint; et hinc in Antropologia ingens lacuna remanserit, per quam ordo successivus humanarum functionum, apud Nos etiam in diem incertus vagatur. Nil frequentius in Physicis, et Medicis rebus, quam vitium apertè negandi facta Naturæ, de quorum ratione sufficienti sensibiliter non constet. Nævi fœtuum in utero; Oculorum Hydroscopeia; Plurimorum objectorum, quæ amuleta vocavit antiquitas, ignotus agendi modus, hunc abusū confirmant.

119 Nè tamen in oppositum vitium nimiæ credulitatis Nos pertrahat tentata enunciatæ culpæ fuga, brevem sinite comparationem. Ordo functionum immutantium alimenta ab ore usque ad Anum, et ad Thoracicum ductum satis notus est Physiologis; At, si quis ignorata E.G. functione ventriculi succenturiati, et mutatione ibi alimentis adveniente, hanc, vel ventriculo propriè dicto, vel Illeo tribueret; is forsan sibi jure persuadere poterit, cognovisse ordinem dictarum vegetationis functionum? Nequaquam. Sensationes directas esse ad Animam (N.º 80.= id quod sunt Corpori alimenta, et fluidum Atmosphericum, nemo post Lockium inficiabitur. Utpotè ista vegetationi hujus: ità illæ (liceat vocabulorum propriorum deffectui allegoricis supplere) illius vegetationi inserviunt. Rei igitur momentum exigit, ut cognoscamus, quo modo sub ijsdem legibus, ac successionibus, per quas mediantibus organis Sensus externi N.º 61, immutatur alimentorum Massa à viribus Corporis, sic immutentur etiam mediantibus organis Sensus interni, Sensationes directæ à viribus Animæ: Diversitas redigitur primò ad diversitates proprietatum constituentium, essentias diversas, et diversas vires utriusque. 2º à diversa Natura objectorum supradictas vires excitantium. 3º à diversitate organorum, queis mediantibus, motus reciprocè communicantur. Sub hisce igitur diversitatibus vitè protracta

extensione legum, evidenter cognitarum in Physiologicis, ad cognitionem Psycologici ordinis; oritur, tandiù frustrà à bonis omnibus desiderata, et à paucis nimium intentata constructio Systematis Antropologici, quod non aliundè oriri potest, nisi à legitimo conjugio cognitionum Physiologicarum, cum Psycologicis; et ex quo, et non aliundè ratio Sufficiens ad existentiam universæ medicæ artis. Ad Complementum igitur propositi argumenti, necesse est indagare ordinem successivum evolutionis organorum, facultatibus animæ inservientium, et quorum vi unaquæque facultas tùm sibi propria, tùm alijs relativa exercet munera ad complementum totius, sub varijs modis conspirantia; uti in eumdem finem conspirare vidimus omnia organa Sensus externi.

120. De peculiaribus organorum Cerebri Nº 80. offitijs nil audeam asserrere, nè in præclarissimi Willisij errores incidam; satius enim existimo ignorantiam fateri, quàm imaginationi indulgere circa ea, quæ inter confinia veritatū Sensibilium continentur. Æquè errat, qui defectui verum ad Scientiam facti (quam experientiam appellant) pertinentium sibi blanditur imaginatione supplere: Uti qui de veritatibus ope intellectualis refflexionis ad abstractionem, ut ajunt, redactis, exigit demostrationes Sensuum, Sphæram non excedentes. Veritas facti non certos facit Cerebrum, Medullam, Oblongatam, Cerebellum pluribus, et varijmodè constructis organis constare. Ergò Singulis (ut de cæteris organis est) sibi propria, et alterutris relativa esse debent officia. Cæteroquin admittere cogimur Superfluitates in ordine Naturæ, quod impietatem non minùs, quam ignorantiam sentit. Id Sufficiat usquedum spetiatim de cujuscumque organi officio ulterior observatio meliora detegat. Hac in re tamen certò constat, dari in Cerebro organon, in quo Sensationum impressiones plus, minusve ad alios usus servantur: eadem lege igitur receptacula adservanda propria objecta ad alios usus in Corporeis organis nonne videmus.

121. Opiniones circa memoriæ Mechanismum inter Phylosophos vagantes neque referre suscipiam, neque reffellere: Utrumque enim inutile. Facti veritates, non opiniones sunt vera construendi Judicij fundamenta. Id certè scimus, ab hoc organo, quodcumque sit, non servari, nisi id, quod per Sensationes directas in illud advenerit. Nullæ Sensationes, nulla memoria. Certò itidem scimus, hoc organon Subjectum esse vicissitudinibus, queis subjacent cætera omnia corporis organa, et per quas eorum functiones augentur, minuuntur, alterantur, læduntur &c. et quandoque à Medicina sanantur. Ex una parte igitur hoc organon, et ipsi relativa animæ facultas, à vi movente, et a vi Sensitiva Animæ excitatur: Sed hæ vires, quæquæ sint, non ultrà extendere valent actionem propriam hujus organi, et hujus facultatis, quam ad retinendas ideas Sensibiles; quales per Sensus externos, ad animam pervenere.

122. At quum certò ex alterâ parte sciamus, has ideas Sensibiles ab organo memorativo animæ facultati inservienti, collectas, Servatasque, innumeras

indè combinationes, et Methamorphoseos subire; res exigit, ut statuatur, à queis viribus hæ mutationes promoveantur. Memoriam viribus intellectuali=bus, et boluntarijs animæ Subjectam esse, nemo, credam, poterit propriæ experientiæ negare. Facultas igitur memorativa cum organis, per quæ vim exercet suam, medium tenet, inter organa, per quæ Anima semper patitur à Sensibilitate directa, et inter organa, per quæ animæ superiores facultates suam in corpus activitatem exercent. Ità Djaphragma inter vires medij, et infi=mi ventris / valeat comparatio quantum valere potest / continentes agitatur. Indè deduci posse jure merito mihi videtur, mutationes omnes, quæ in ideis servatis eveniunt, fieri ab activitate Superiorum animæ facultatum, et non alio modo. Vires igitur Intellectivæ Immaginationis, Ratiocinij Judicij, et vires indè Superiores volontatis / quæ et ipsæ mediantibus suis organis, uti cæteræ omnes in Macrocosmo, et in Mycrocosmis quibuscumque exercent / impetu, et ordine, ab impetu, et ordine Sensibilitatis inverso agunt in organo, et facul=tate memoriæ; ipsa quoque eadem prorsus lege, ipsisque variatis in infi=nitum modis, quibuscum Objecta 78; 79. inverso mutu, à Cerebro proveniente, directas excitare Sensationes, apertissimè constat. Organon memoriæ est id Sensui interno, quod sunt sui nervi sensibiles Sensibus externis. His med=iantibus, per motum reflexum ab objectis, anima modificatur ad distribu=endos organis motus Sensibilitati directæ relativos: per motum refluum ab imaginatione, aut à voluntate, mediante organo memoriæ ad animam re=flectuntur per aliam viam motus ipsimet, quos antea objecta excitarunt. Undè, et remoto ab ea objecto eædem excitantur modificationes. Ergo ab am=babus eadem motus ad organa distributio. Ergo ijdem in Corpore Physici effectus à Sensationibus tum directis, tum reflexis. Una tantum diversitas in=terest; Scilicet cæteris paribus, animam intensius affici à directis, quam à reflexis.

123. Imaginatio igitur est operatio animæ à memoria distincta. Per hanc, impre=siones Sensibilitatis directæ in proprio organo servantur: per illam, mediante organo sibi proprio, eædem impressiones reviviscuntur, et indè pro libitu a=nimæ, et ejus attentione, et organorum, intellectuali, et volativæ ejus facul=tatibus inservientium, immiscentur, componuntur, comparantur, separantur &c. et in modis infinitè varijs complicatæ, ab originarijs directis deflectunt hæ Sensationes, quas reflexas jure appellamus. Hæc tamen varietas eas non eximit a Natura Sensationum; quia ambæ ijsdem dittantur proprietatibus, eosdemque producunt effectus in homine, ambæ scilicet vel voluptuosis, vel pœnosis animam modis afficiunt, et in ratione directa harum æquè Physicarum affectionum, ijdem, ab ambobus in organis sui Corporis motus, vel accelerati, vel turbati N.º 80. 81 &. Diversitas igitur inter Sensationes reflexas, et ~~...~~ directas à differentia graduum intensitatis consistit. Ab ~~his~~ ipsis enim animæ, cæteris paribus

non adeò vehementer modificatur. Ex hac diversitate intensitatis, inter Sensationes directas, et resflexas sequitur; quod ut plurimum Anima vim moventem versus organa, à queis Sensatio originariè venerat non cogatur tam vehementer intendere, uti à directis cogitur. Ità in Sensationibus directis, 81. leviores objectorum, et praecipuè continenter Sensubus praesentium impulsus, nullo modo ab anima advertuntur, indè est; quod motus organorum ab his ultrà limites recti Antropologici, non augeantur; Nisi aliquo modo excedant, propter acquisitam, vel ab organo suscipiente, vel ab Objecto impetum faciente, improprietatem. Sub isdem conditionibus etiam Sensationes resflexae, licet Natura sua directis mitiores, ordinem turbant organicorum motuum: Annon ex dictis fundamenta Pathologiae universae? Annon Causarum Morbi ab ipsis principijs realis, et non imaginaria distinctio, quae adhuc desideratur in Arte.

124. Differunt igitur Sensationes resflexae à directis per diversum modum à quo excitantur: conveniunt tamen in effectibus, quos eosdem producunt in organis. Per extremitates Nervorum externas, objecta à Sensibilitate promota in organum memoriae perveniunt, uti alimenta ad ventriculum promoventibus viribus oris, et oesophagi N.º 102 &c In hoc organo sub legibus, quae ab effectis Analogae ad unguem apparent, cognitis in Physica legibs attractionis, et repulsionis servatae Coordinantur inter se cum residuis sibi Analogis, antecedenter ibi servatis. Juxta organi dispositionem, et juxta Sensationum quantitates, et qualitates, haec functio plus, minusve perfectè completur; Uti de caeteris omnibus, et quibuscumque functionibus, quae fiunt in homine vivente. Facultates indè ulteriores animae excitantur successivè, ut vidimus successivè extricari functiones corporis, et indè in mutuas relationes convenire. Veritati hujus Successivae progressionis in homine tum exteriori, tum interiori nemo inficiabitur attentus suimet ipsius observator. Quotquot vigent hac in re indeterminatae quaestiones, et obscuritates, omnes a non satis determinato ordine Successionis, quocum hae facultates animae extricantur, et mutuis indè se sustinent auxilijs, oriri magis suspicor, quam ab ipsa Natura rei. Hinc est, quod necesse mihi videatur ad Theorejam pathematum animi statuendam, uti exigit argumentum hanc successionem in ordinem quodammodo redigere, uti redegimus a N.º ~~29~~ 29. ad 60. functiones Sensus externi universi.

125. Ea quae memoriae succedit in ordine extricationis facultas, Immaginatio est. De hujus officio satis N.º 101; 102. Anima hanc suam facultatem quantacumque sit vis ejus, ultra Sensationes à memoriae organis servatas, ordinatasque extendere non valet. Pueri, Ceci, Surdi, ignari homines & comprobant hanc legem Successionis, et nullitatem imaginationis deficiente materia (liceat hac allegorica voce uti) a Sensibili facultate praestita, et à memorativa serbata, nec non elaborata, juxtà officia propria; et non ultrà

Ita Duodenum E.G. iners remanet ad alimentorum mutationem promoven=
-dam, deficientibus materialibus ab ore præstitis, et à ventriculo ultrò elabo=
-ratis. Sed neque Alimenta sub Duodeni elaboratione in Chylum redacta,
neque Sensationes sub dictione imaginationis in Ideas conversæ, ad finem
suæ elaborationis perducuntur, sed ulteriores exigunt mutationes, et Secretio=
=nes. Prima; ut vel in Substantias Corporis convertantur, vel in Semen; quod
nil aliud est, quam ad summum contractæ ordinatæque Molleculæ ipsius
Corporis, à quo paratæ fuerunt: Idæ verò, ut ad ideas Spirituales, et ad be=
=ritates abstractas reducantur, quæ animam ad sublimia Erga Deum, et Erga
homines, ad maximum scilicet humanæ perfectibilitatis gradum conducunt.
Quantitas igitur, et ipsa qualitas idearum ab imaginatione parata futi de
chylo est respectu corporis (Non sufficiunt ad perficiendam Animam, seu
Hominem interiorem (juxtà Divum Paulum ad Romanos) Succedit in inte=
-riore Homine Ratiocinandi facultas, ut in homine exteriore Chylificationi
Sanguificatio. Agite precor mentis acie, qua polletis, viri præclarissimi, et
nè vos ultrò detineam comparate tot morbos, qui in Pathologicis (nimis for=
=tasse ultrà veritatis limites) Sanguificationis defectubus tribuuntur, et
totidem certè in operibus animæ à Ratiocinantis facultatis defectu produ=
=tos invenietis. Simplicius objectum facultatis ratiocinantis est combinatio
duarum idearum præparatarum, ut Suprà. Extensio protrahitur ad inde=
=finitum Numerum combinationum; tùm Sensibilium; tùm ex his per imagi=
=nationem compositarum; Undè major evenit raticionandi, aut facilitas,
aut difficultas à parte objecti elaborandi, præter alias varietates, quæ
ex parte dispositionum ipsius organi oriuntur, et vitio educationis, et ha=
=bitudinis præcipuè. Quod consonum est cæteris omnibus tùm interioris, tùm
exterioris hominis Sensubus, atque functionibus. Ergo pares evolutionis
hominis tùm interni, tùm externi Conditiones.

126 Operi facultatis ratiocinantis Succedit actio facultatis judicandi. Hæc or=
=ganis Corporis Secretorijs apprimè respondere mihi videtur. Exactitudini
hujus functionis debet quidem anima Secretionē boni a malo, utilis à Nocuo.
vereor tamen nè à Logicis, non ritè animadversa huc usque exposita Succes=
=sione functionum Animæ per organa unicuiq. propria; Juditio tributa
fuerint plura, quæ ad ratiocinium propriè spectant. Fieri enim potest, ut
organa (quæcumque sint) quæ ad exequutionem hujus facultatis inserviunt,
proprio vitio laborent; et indè, non exactè exequatur Supradicta Secretio,
quæ maximi quidem momenti est in Sanitate functionum Sensus interni;
Sed Sæpissime læditur Simpatiæ, et non Idiopatiæ. Malè judicat Anima
ex vitio Sensibilitatis, ex vitio memoriæ, et vitio Ratiocinij, vel ex se, vel junctim,
et varijmodè complicatis: ut malè Secernuntur utilia ab inutilibus alimentorū

ex

ex vitio oris, bentriculi, Duodeni, cum suis pertinentijs, et complicationibus, quod confirmat uniformitatem Successivæ progressionis in functionibus cunctis homi=nis, tum interioris, tum exterioris. Ommissis peculiaribus circa Iudicandi facul=tatem differentijs, quæ à diversa propositionum Natura, et à diversis eas ela=borandi modis eveniunt, ad argumentum præstat animadvertere hanc de rebus judicandi facultatem esse quidem præparatoriam ad exequendas functiones facultatis eligendi, quæ voluntas appellatur; Sed nullo modo cum ea confunden=dam. Exactitudo divisionis officiorum propriorum à relativis, quantum lumi=nis attulerit in cognitione hominis exterioris, nemo Medicorum hodiè non fatetur; quid non igitur Sperandum ab exactitudine divisionis ejusdem offitiorum in homine interiore? Et quid non indè à cognitione unicæ legis simplicissimæ, èquè ac certissimæ per quam omnes, et Singulæ successiva Subordinatione extrican=tur, ad actum reducuntur, complentur, et mutuis relationibus Sustinentur, et indè vitiantur, et deficiunt utriusque functiones, per quas homo est id quod est, et mutationes Sphæræ suæ Naturæ proprias complet in Sphæra generalis Naturæ, ut complet globus noster terraqueus in Sphæra Planetaris, sic dicti, Systema=tis? Non ergo tantùm morborum, Sed, et functionum omnium in homine, unus est modus? Non ergo morbus molesta sensatio?

127. Suam tandem, mediantibus antecedentium ordinatis auxilijs, Supremam facultatem ad actum redigit Anima, per quam compos fit, liberè eligendi de rebus, per Sensibilitatem præstitis per memoriam servatis, per Ratiocinium discussis per Indicium secretis. Hinc molestarum, et nocivarum adversatio, utilium, et voluptuosarum dilectio; interquas primum locum obtinet, nemine discrepante, desiderium acquirendi, quidquid suæ conservationi proprium vel rectè, vel falsò judicavit; atque id versus facultates omnes, quæ sunt hu=ic superiori volendi facultati subordinatæ, uti dictum fuit, tùm quæ Sen=sui interno tribuuntur, tùm quæ externo Suscitat, promovet, urget, impel=lit, et à nocuis vel jure, vel non, pro talibus judicatis avertit. A combinatis actionibus Sensibilitatis, memoriæ, imaginationis ratiocinij, judicij, bolun=tatis, cogitandi facultas ad actum redigitur, et varijs in infinitum modis exercetur. Sed, non ideò rectè ratiocinamus, dum in hâc facultate animi essentiam supponimus. Altera hæc est ex proprietatibus animæ: Sed non unâ tantùm proprietas Entium essentias præfigere valet N.° M. En itaque breviter, quoad licuit mihi, expositus ordo, per quem Spiritualis substan=tia suo Corpori juncta facultates sibi proprias extricat, et exercet ad bege=tationem, ad incrementum, ad Conservationem Materialis formæ ipsi Animæ Junctæ. Utramque sub eo=dem ordine per conditiones, modosque unicui=que propria, et variata in ratione diversitatis proprietatum, queis pollent, et per quas sunt id quod sunt, utraque, dixeram, in homine conjuncta ad datum icrementum perfectibilitatis perveniunt. Corpus materiale per me=

methamorphoses varias objectorum materalium: Anima immaterialis per methamorphoses itidem varias objectorum, ab omni materialitate jam separatorum procedunt, et successive gradato ordine procedunt. Tantum igitur necessaria Animae est Sensibilitas, quae in ea per organa singula sui Corporis sub modis infinite varijs excitatur; quantum corpori vis movens suae Animae quae a Cerebro, sub curvis infinite varijs, undique distribuitur. Per hanc Corpus movetur, per illam Anima ad movendum excitatur, et determinatur, vel inscia; vel Conscia, juxta diversitates Sensibilitatis eam modificantis.

128. Sicuti plures Corporis operationes ab Animae subordinatione excludere plures Physiologi tentarunt: Ita et Psychologi plures hujus a Corpore nil omnino pendere statuerunt. Falso quidem omine alterutri. Vereor, ne hi maximi quidem Viri, attentione ultro praestita, Substantijs hominis seorsim sumptis, non satis in ejus totum penetraverint, neque in finem universae Creationis, qui ad universi, et non ad unam tantum individuorum conservationem tendit. Ad hanc igitur certo certius, non ad propriam tantum omnia entia Creata fuisse nemo dubitabit. Sicuti igitur, uti vidimus, per statutam unionem animae suo Corpori succedit tendentia ad Conservationem suimet ipsius, quam Phylauciam appellant; ita per diversitatem proprietatum, constituentium essentiam peculiarem unicuiusque, constituuntur tendentiae unicuique propriae, quae universum Creationis ordinem respiciunt: Unde est, quod forma materialis ad apicem suae conformationis evecta, non antea ad conservationem suae Speciei descendat, Anima ad apicem pariter evolutionis suarum facultatum evecta, ad superiora tendere valeat, per quae creata fuerat completo cursu mutuae suae unionis cum Corpore N.o 18. ad 25. Hinc descendit aequa ambobus necessitas suae propriae coltivationis. Opus dificile! et circa quod opiniones hominum tam vagas, quam in ipsamet medendi Arte huc usque invenio. Nonne id fortasse ambobus ex non satis cognita hominis Natura? Videant alij. Haec indicasse satis.

129. Ex vi hujus tendentiae sibi propriae Voluntas sit facultas prorsus libera Animae, et ab ea merita inde ejus erga Creatorem, et Justas leges affectionum nostrarum erga proximum, et erga nosmetipsos veniunt. Ordo hujus tendentiae is est, qui ad Theologos, et ad Politicos privative spectat; in caeteris omnibus, et ipsa volontatis facultas Medicinae subijcitur, et ipsa, vel ab improprietate objectorum, vel a propriorum excessu, defectuque, vel ab organorum vitio habituque educationis aegrotat, uti vidimus aegrotare omnes, et singulas facultates, et functiones in homine. Ergo Antropologia Norma est universae antropopathiae. Apolexia, Paralisis, Morositates variae, Vesaniae, Epilepsia, Lethargus &c. Satis comprobant non modo physicam Sensibilitatem violari, sed memoriam, Imaginationem, Ratiocinium, Juditium, et ipsam volontatem Physice laedi.

130. In proportionali igitur equilibrio harum inter se diversarum, et ex opposito vergentium tendentiarum consistit rectum generalissimum totius hominis, tum in=

=teriovis, tum exteriovis. Ab hoc ideò innumera Subordinata dependent æquilibria particularia; Sub ijsdem legibus inter innumeras varietates modificationum, omnia in eumdem finem perficiendi hominis tendentia. A' puncto unionis facul=tatis Animæ moventis cum organizatis materialibus primitivis molleculis N.º 33; ad 38. incipit princeps æquilibrium; cujus finis est individui conservatio, ab hujus exercitio utriusque Substantiæ proprietates evoluuntur successivè. In 13
ratione reciproca evolutionis harum proprietatum augetur Massa virium utri=usque. Tendentiæ harum Massarum in opposita trahunt hominem N.º 125. 126. hinc Antagonismus hominis exterioris, cum homine interiore. De effectibus harū tendentiarum, qui sunt amor elevatus erga Deum, et amor descendens in filios proximosque, nostri non est disserere; Satis est demonstrasse à puncto unionis, quod id esse debet medicis, quod est suum punctum Mathematicis, primigeniū oriri amorem sui met ipsius, à cujus æquilibrata activitate bona omnia Phy=sica, Moralia; Socialia descendunt, et è contrà, ab ipsius utrimque abusu ma=la omnia specierum earumdem.

Virtus est medium vitiorum, et utrimque reductum. Est modus in rebus sunt

131. Huic Antagonismo activitatum Corporis, et Animæ, tamquam centrum reffle=xionis, Diaphragma inservire, innumeræ observationes præter eas, quæ in opti=mo libro cui titulus l'Home Physique, et Moral evidentissimè demonstrant, quod indicasse prò dato argumento sat est; Post hæc, quæ licet nondum antea, quoad sciam, Statuta fuerint vera tamen arbitror, et probata, in aperto est Pathæmata esse familias ab Phylantia descendentes; Scilicet à desiderio con=servationis, excitato à Sensationibus quomodocumq.e ad Animam perductis, vel ab hujus facultatibus reproductis. Motus igitur, et Salubres, et Nocui à pathæmatibus in homine excitati, ijs prorsùs legibus Subjecti sunt, à quibus vidimus hūc usque per Sensibilitatem directam motus omnes in homine exci=tari, et ab eorum excessù, deffectuve, morbos quoscumque oriri. Sensationes igitur reffleхæ, excessù, deffectuve pecantes, æquè, ac directæ, suis peculiaribus modis singulæ sustinent, et lædunt Equilibria peculiaria, à quibus, tamquam partibus, constituitur generale Equilibrium N.º 126: 127. integram conservans hominis existentiam.

132. Antequam progrediar, non inutile reor animadvertere quam longo distet cognitionum intervallo detectum hoc, prò viribus meis, princeps, et generale æquilibrium ab illo particulari nimis, et Subalterno, quod fluidis, Solidisque intercedit, et in quo uno tamquam basi, malo hominum Fato, Medicina nri ævi firmissima Artis fundamenta jecisse sibi blanditur. Nonnè in vitium Nos du= 13
=cit Culpæ fuga? Nonnè horror Hyppotesium à veritatibus abstractis, quæ solæ scientiarum, et Artium elementa constituere possunt, Nimium abhorrere nos facit? Nonnè veritates Sensibiles, quæ pro basi tantum Pyramidi Scientiarum servire debent, juxtà berulamium, iniusti hodiè conamur ad Sublimem harum Apicem evehere? Nonnè, quæ exposui adamussim conveniunt cum ijs, quæ de-

Cerebri dignitate exposuit, abstractè licet, et nimis imperfectè maximus Medicorum Hypp. de Morbo sacro præcipuè? Judicate: Estote vos, et judicet quicumque recto ordine à Sensibilitate utriusque generis novit methodos progrediendi ad Judicium. Ad Pathemata redeamus.

133. Quamvis hæc ad Analysim redacta, nil ultrà sint, quam variatæ Modificationes Phylautiæ: per hasce tamen modificationes proprietatibus imbuuntur inter se varijs, undè varias, et interse prorsus contrarias valent in Sensu interno Sensibilitatis species excitare; juxtà quas facultas animæ motrix, diversimodè indè modificata, diversos in organis subjectis excitat motus. Unusquisque, propria experientia edoctus, veritatem propositionis cognoscit. Hanc Pathematum differentiam considerandam proponimus, brevitatis, et intelligentiæ gratia, uti differentiam objectorum, quæ per os ventriculum invadunt. Quotidiana experientia docet, non minus activitati hominis propagandæ necessaria esse pathemata, quàm ipsius vegetationi alimenta. Ergo utriusque Mechanismi par Ratio. Inter ea, quæ ventriculum invadunt; Alia ejus tonicam vim roborant, et hæc ipsa, dum excedunt, vim faciunt, fibrasq. in nimiam rigiditatem ducunt. Alia nimis inertia, ad ejus Sensibilitatem excitandam, in languorem eum prosternunt; Alia prorsus huic organo contraria, molesta nimis Sensibilitate excitata, illud in turbas plurimas, diversasq. agunt. Nonnè felix amor; Gaudium; Præmij, et Gloriæ spes, et alia hujus generis corroborant totum hominem, et restaurant? Nonnè eorum excessus parit incommoda sicuti excessus alimentorum magis restaurantium? Nonnè timor; tristitia; Zelotipia, et similia debilitant, tonicamque vim destruunt? Prostrationes virium, Artuum tremores, Cordis oppressiones, viscerum Epigastricarum inertia, languores, atque etiam Syncopes ab huiusmodi pathematibus procreantur quotidiè? Atque hæc non ne comparationis Analogiam Confirmant? Iracundia denique; pavor; furor, vindicta &c. quæ violenter Sensum internum afficiunt, itaut spasmodicam contractionem musculare Systema universum patiatur, quod apparet in Artubus tremulis, in pectore oppresso, in abdomine contracto, in oculis turbatis, orbitasque effugientibus, in rubore, aut pallore insuetis genarum &c. Nonnè cum indicatis, tertio loco assumptis, apprimè conveniunt? Id certissimum est, animam, dum materiali suæ formæ conjuncta est, premi aliquibus legibus, a quibus nullo modo, nisi ab eadem forma dissocietur, se absolvere valet. Per has leges conjunctionis Homo est, quod est. Quomodò igitur fieri poterit, Ut motibus vel Physicis, vel moralibus huius Entis turbatis ritè consulere valeat, qui priùs ejus constitutionem, quæ ab ipsis legibus pendet, non noverit?

134. Liquet itaque, luce clarius, animi pathemata agere in homine sub ijsdem legibus, et conditionibus, quibus agunt in homine, tùm alimenta, tùm objecta, quæque Sensibilitatem excitantia, et ipsa inservire tamquam causas non solum activitati hominis promovendæ, sed homini tùm conservando, tùm dissolvendo. En itaque antropologiæ leges, per quas, et non alio modo, non tantum Sex propositæ res, non naturales dictæ, sed aliæ omnes agunt, influuntque in homine. Animadverten-

=dum est has leges adamussim convenire cum omnibus, experientia duce, huc usque
tum in Physiologicis, tum in Pathologicis detectis veritatibus: Si hæ intra propriam
Sphæram reducantur, ultra quam protractæ veritatis Naturam perdiderunt.
An non igitur ex his phænomenorum quorumcumque debita, et ipsorum Naturæ
proportionata solutio?

135. Alicui fortasse videbitur ad Solutionem integram propositionis me debuisse
ultro in particularia descendere, tum variatæ Sensibilitatis singulorũ organorũ
et singulorum individuorum, tum variatæ activitatis objectorum quorumcumq.
Sed quis non videt impossibilitatem determinandi in ijs rebus, quæ varietatibus
in infinitum varijs subjiciuntur, per infinitas, et varias mutationes circumstantiarũ
a' tempore, a' locis, ab innumeris uno verbo contingentiarum complicationibus eve=
=nientes; per quas rectum Antropologicum in sibi proprias Curvas defflectit, non re=
=cedendo a' Sphæra Antropologica. Ita pariter fieri non potest, ut aliquid præcise
statuatur in universa Antropopathia, circa Casus ejus peculiares; Nisi præcisa detr
ipsius Casus historia, suis omnibus stipata circumstantijs, constituentibus, speciem
præcisam curvæ antropopaticæ, cujus mensura, et conditiones perquiruntur.
Prudentia a' generalibus ad particularia hominum mentes ducit; Sed ignotis ge=
=neralibus, non datur prudentiæ locus, inanisque est omnis prudentia, aut fallax.
Genericis propositionibus fieri non potest, ut per particularia respondeatur: a' par=
=ticularibus enim ad generalia non datur illatio, et e' contra rite, et recte cognitis
generalibus certa indicatur, et sternitur via rite, et recte descendendi ad particu=
=laria. Inde est, quod verear, ne a' nimia, et præcipiti nimis inductione particulari=
=tatum ad generalia, ortæ sint in Arte ææ magistralitates, per quas, testante veru=
=lamio, ipsius Experientiæ fructus medici perdiderunt. Annon verulamiani Cry=
=terij perspicacitatem una, et firmitatem aperte demonstrant tot particularia curandi
Morbos Systemata, plerumq. altera alteris, aut diametraliṫ contrãria, aut saltem interse
dissidentia, et singula experientia pro fundamento jactantia, quibs hodie scatet medicinę
pars operativa, quę Systematis susceptibilis esse, non potest, Judice Hyp. de locis in homi=
=ne N.106; et e' contra sine Systematæ [Scilicet, sine statuta, et Universali Artificium con=
=sensu, decreta dispositione partium, per quam intṡe Coordinatę ejus partes procedant, et
mutuo se sustineant commercio, quocum posteriores ab antecedentibs explicent] permaneant
adhuc pars ejus Scientifica, quę e' contra exemplo Scientiarum, atq. Artium omniũ testante
sine Systemate nullo modo existere potest: et a' quo, et non aliunde omnis ordo, et omnis ratio
agendi in Casubus particularibs tamquam consequens ab antecedentibs, Ope recti ratiocinij, de=
=scendere? Ars medendi fieri numquã poterit; ut inveniaṫ, nisi methodo quęsita: sic pronuncia=
=vit maximus vere Artis institutor Hyppocrates. Sine Systemate erit semper ars sine arte.

136. Hujus Systematis, seu ordinis, aut dispositionis Specimen ad artem statuendam necessarijssimi,
et huc usque ignoti, uti sufficiens per se ad Solutionem, tum datę propositionis, tum cujuscumq.
aliæ, sive in recto, sive in Curvis Antropologiæ incidentibus, quoad potui, et mihi datum fuit, præ=
=bere conatus sum. Gratus tandem ero viri Sapientissimi, si quę, rudi minerva exposui approba=
=tione vestra confirmare dignemini; gratissimus vero, si me de meis, vel ignoratis in scientia facti,
vel erroribus in ratiocinando, vel illusionibus in judicando benigne admonitũ, et certiorem feceritis.

Finis